



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus
practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa ... & in 4. Tomulos
sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes commodè compingi possit

à casu LXXVI. usque ad Casum CII. inclus. Materiam de Beneficiis
Ecclesiasticis, de Sacramentis in genere, & in specie de Baptismo,
Confirmatione, Eucharistiâ, Pœnitentia & Indulgentiis

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1753

VD18 13475452-001

Ex Tractatu De Beneficiis Ecclesiasticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39838



E X

TRACTATU

D E

BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

C A S U S LXXVI.

In Tit. 5. lib. 3. Decret. de Prab. & Dig.

De naturâ, proprietate, & divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

A Mon Juris Candidatus interrogatur 1. Quid sit Beneficium. 2. An debeat erigi auctoritate Episcopi. 3. An possit possideri, vel conferri à Laico. 4. Quid sit Beneficium majus, & minus. 5. Regulare, saculare, & quid in dubio. 6. An Regulares & in specie Premonstratenses capaces sint Beneficiorum Sacularium. 7. An revocabiles sine consensu Episcopi. 8. Quid sit Beneficium collativum, electivum, manuale, titolare; quid si in manuale quis instituat perpetuò. 9. Quid sociabilia, uniformia. 10. Quid Capellania. 11. Commenda. 12. Coadju-
toria.

A

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom III.

13. Vicaria. 14. Præstimonium, pensio.
15. Prabenda Canonessarum regularium, an simul
plures haberi possint, an sint materia simonia, ob-
ligentque ad Horas, an possideri possint à maritatâ,
vel corruptâ. Pro resolut.

I. QUÆR. I. Quid sit Beneficium Ecclesiasticum ?

R. Beneficium est jus perpetuum percipiendi redditus Ecclesiasticos ratione spiritualis officii, Ecclesiasticâ authoritate institutum, & persona Ecclesiastica ab Ecclesiasticâ collatum: itâ quodam rem omnes.

Dicitur 1^{mo}, jus percipiendi redditus, per quod distinguitur à simplici Canonîâ, quæ solùm est jus, habendi sedem in Choro, & vocem in Capitulo; imò ex usu quarundam Ecclesiarum simplex Canonicus nequidem habet vocem in Capitulo, nisi residentiam expleverit, & juxta præscriptum Trid. Sess 22. c. 4. de refor. in majoribus Ordinibus constitutus sit; Canonîa tamen causat suo tempore jus ad fructus.

Dicitur 2^{dò}: jus perpetuum, quia de naturâ beneficii est, ut non conferatur ad certum tempus, sed perpetuò, & regulariter ad vitam beneficiati, in eoque beneficiatus intituletur, seu, ut practici vocant, investiatur, per textum in c. Sanctorum 2. dist. 70.

Dicitur 3. Ratione officii spiritualis; putâ, ratione obligationis recitandi horas Canonicas, deserviendi alicui Ecclesiæ, administrandi Sacramenta, celebrandi certas Missas &c.; quale officium est omninò spirituale, non tamen est beneficium, sed fundamentum & causa Beneficii Ecclesiastici; nam beneficium datur propter officium spirituale, c. fin. de rescrip. in 6. unde qui
prop-

propter officia secularia ab Ecclesiâ annuos reditus percipiunt, velut Advocati, Syndici, Medici, Musici, &c. propriè non habent beneficium &c.

Dicitur 4^{to} Ecclesiasticâ auctoritatè institutum; 2.
 nam si aliquis sine approbatione Episcopi certas Missas, & anniversarium perpetuum fundet, hæc non erunt propriè beneficium, sed pia donatio, vel legatum, nec appellatione beneficii veniunt, quoties in jure, vel litteris Papalibus de beneficiis mentio fit. *Pirh. lib. 3. dec. tit. 5.*
Et ibid. Reiff. n. 14. unde ejusmodi donatio, vel donatio non sufficit ad titulum Ordinationis, nec ille qui fruitur ejusmodi fundatione, vi illius tenebitur ad Horas Canonicas, quia nondum est beneficiatus; potest tamen aliunde obligari ad Horas v. g. ob susceptos majores Ordines, vel Professionem religiosam. Ad hoc, ut aliqua fundatio Altaris vel Capellæ reputetur verum beneficium, sufficit institutio tacita Episcopi, quæ hoc ipso contingit, quòd Episcopus altare vel sacellum ab alio fundatum scienter consecret, aut alicui consentiente patrono ejusmodi Missas vel capellam conferat in titulum Ordinationis; econtrà si tantùm det nudam facultatem Missas legendi in tali Altari vel sacello, nullatenus ea per hoc in beneficium Ecclesiasticum erecta censentur; cùm id etiam competat privatis oratoriis, in quibus sine licentiâ Episcopi celebrare non licet. *c. si quis etiam de consec. dist. 1.*
Pirh. Robert Konig. tit. 5. n. 20.

Dicitur 5. Persona Ecclesiastica collatum; quia 3.
 persona Laica est incapax etiam ad horam possidere beneficium, utpote rem in se vel saltem ratione annexi sacri ministerii spiritualem, C.

cum adeò 17. & ibi gloss. de rescript. ex quo fit, ut collatio Laico facta etiam superveniente postmodum Clericatu non revalidetur. Garc. de benef. p. 1. c. 2. n. 28. requiritur itaque ante omne beneficium prævius clericatus, seu prima saltem tonsura, adeò ut sine eâ quis ad beneficium possidendum sit omninò inhabilis.

Dicitur 6tò à personâ Ecclesiasticâ, putà, Papâ, Episcopo vel alio Prælato collatum; Laici enim tametsi ex speciali juris privilegio capaces sint juris patronatûs, vi cujus præsentare possint aliquem ab Episcopo instituendum, ipsius tamen juris conferendi, vel instituendi omninò incapaces sunt per c. si quis 12. & seq. c. 3. de instit. Proinde si aliqua Capellania, seu onus legendi certas Missas aut anniversarium ita fundatum sit, ut hæres, vel alius Laicus sine institutione Ordinarii talem Capellaniam conferre possit, hoc ipso beneficium Ecclesiasticum non erit, nec in impetratione alterius beneficii (utî cæteroquin per c. 23. de prabend. & dig. in 6. requiritur) hujus mentio facienda est.

4. QUÆR. II. Quotuplex sit beneficium?

ꝛ. Beneficium variè dividitur; nam 1. Aliud dicitur majus; aliud minus; beneficium majus est, quod habet annexam dignitatem, personatum, vel officium; minus non habet simile quid annexum; dignitas est præcedentia cum jurisdictione, qualem habent Episcopi, inferiores Prælati, & Superiores locales Ordinum, qui plenam rerum Ecclesiasticarum Administrationem habent. Personatus est præcedentia sine jurisdictione, qualem habet Senior in Capitulo Cathedrali, vel alius, qui in Choro vel processione locum honoratiorem obtinet; Officium est

est administratio finè præcedentia & jurisdictione, qualem habent Sacristæ, Cantores, Theaurarii, & similes.

2dò. Dividitur beneficium in sæculare & regulare; *Sæculare* est, quod ex fundatione, donatione, aut præscriptione, solis sæcularibus Clericis, *Regulare*, quod solis Regularibus ex simili causâ conferri debet. *c. 5 c. 32. h. t. in 6.* ut autem beneficium sæculare per præscriptionem transeat in regulare, vel econtrà, requiritur, ut quis tale beneficium per quadraginta annos bonâ fide possederit. *Garc. p. 7. de benef. c. 10. num. 35. Gonzales reg. 8. Cancel. glos. 7 num 36. Barb. jur. Eccl. l. 3. c. 4. num. 45. Leur. foro benef. p. 1. c. 2. n. 38.* in dubio, an beneficium sit regulare, vel sæculare, non statim præsumitur sæculare, ut vult *Sanch* & alii, sed regulariter status ultimus inspiciendus est, utrùm nempe vacaverit per obitum personæ regularis, vel sæcularis. *c. querelam 24. de elect. Garcias l. c. Pirhing. num. 120. Reiffenst. num. 24. Konig. sup. n. 5. Krimer l. 3. quest. 5. num. 163.* ubi dicunt, quòd beneficium, si fundatum sit in Monasterio, & de modo fundationis non constet, præsumi debeat regulare, & eâ intentione fundatum, ut per regulares eidem provideatur, imò *Less. de just. l. 2. c. 34. num. 6. Tamb. Bordon. Murga de benef. 6. quest. 2. num. 4. Konig. num 17. Schmier p. 2. c. 3. num. 34. Engel. privil. 45.* cum aliis docent contra *Gonzales* & *Pirhing. sup. num. 118.* Regulares de jure absque dispensatione Pontificiâ capaces esse beneficiorum sæcularium curatorum per clarum textum & Glos. in *c. Parochia & c. doctos 21. & seqq. causa 16. c. 1. Clem. 1. de elect.* idque speciatim de Canonicis Præmonstratensibus

docet *Zypaus lib. 3. consult. 1.* & clarè habent Ord. privilegia, olim concessa ab Urbano IV. & Clemente V. quæ in amplissimâ formâ novissimè confirmavit, & de novo in perpetuum ex integro concessit Bened. P.P. XIV. in constitutione quæ incipit, *Oneroso* data Romæ Anno 1750. Calendis Septemb. ut Canonici Regulares Ordinis Præmonstratensis, nunc & perpetuis futuris temporibus absq; ullâ oppositione & contradictione quascunq; parochiales Ecclesias etiam sæculares earumq; perpetuas Vicarias Clericis seu Presbyteris sæcularibus conferri solitas. . . absque dispensatione apostolicâ consequi, & quoad vixerint, retinere liberè & licitè possint & valeant; non obstantibus quibuscunq; indultis privilegiis etiam motu proprio & de plenitudine potestatis apostolicæ in contrarium, quomodolibet concessis. Idem declaravit Maximilianus Henricus Archi Episcopus Colonienfis 14. Martii 1670. in rescripto ad Abbates Steinfeld. & Knechtstedenf. & de Canonicis Regularibus generatim concedit *Gonz. gloss. 7. n. 55. Wiestner Penot. Pignat. conf. 44. num. 1 & 2.* ubi refert Declarationem Card. de Ann. 1602. Canones, qui in contrarium solent allegari, ad summum loquuntur de iis Monachis, qui solitariam, & eremiticam vitam ducunt, aut qui non ex commissione suorum Prælatorum, sed propriâ autoritate beneficia suscipiunt; an autem, & quomodo Religiosi è beneficiis sine consensu Episcopi revocari possint, præclarè discutit Petrus de Murga *q. 2. a. 1. num. 259.*

7. Si beneficium sit regulare, & Monasterio pleno jure incorporatum, seu unitum ad mensam, ita ut Monasterio redditus temporales sint incorporati, & ipse Abbas sit principalis Pastor, deserviens autem

tem

tem ejus Vicarius manualis, tunc ad nutum revocari poterit. *Pirhing. l. 3. t. 5. num. 218. Barbof. in Trid sess. 25. de reg. c. 11. Flores de Mena variar. qq. qu. 10. num. 10.* dicens sic fuisse decisum in Curiâ Rom. & à Congreg. Card.: & novissimè occasione Canonici de la Motte, professi Abbatia Leodiensis, à suo Prælato è pastoratu revocati, pro Præmonstratensibus contra Archiep. Colon. Josephum Clementem & Episcopos Germaniæ Romæ decisum fuit 2. Xbr. Ann. 1712. & 3. Febr. 1713. *Quòd liceat revocare absque Episcopi consensu, ipso tamen certiorato.* Si verò beneficium sit sæculare vel non plenè incorporatum, Religiosus per Superiores absque consensu Episcopi revocari non potest; quia Religiosus pleno jure transit in potestatem Episcopi, *DD. cit. excipe*, nisi speciale ad hoc habeant privilegium, quale habet ordo Præmonstratensis concessum ab Honorio III. Alex. IV. Nicol. IV. Joan. XXIII. Sixto IV. Jul. II. aliisque Pontificibus, vi cujus omnes suos religiosos ex quolibet beneficio, sive unito, sive non unito, ad libitum revocare potest, & qui, sive ob culpam suam, sive sine culpâ revocati, & ter moniti beneficia sua non dimittunt, ipso facto declarantur excommunicati per statuta *Ord. dist. 2. c. 23.*

3. Dividitur beneficium in *collativum*, quod scilicet per collationem Episcopi, vel alterius obtinetur, & *Electivum*, ad quod quis per viam electionis assumitur; veluti Episcopatus, Abbatia; & *patronatum*, quod ad præsentationem patroni conceditur.

4. Dividitur in *manuale*, & *titulare*; manuale vocatur, quod ad nutum dantis revocari

cari potest, qualia ferè sunt omnia beneficia regularia, in his enim constituitur Vicarius manualis, seu revocabilis, & principalis beneficii Rector est ipse Abbas; in dubio beneficia secularia censentur perpetua, regularia verò manualia, seu ad nutum revocabilia. *Tuschus, de Luca & plurimi*, quos citat, & sequitur *Reifsenst. num. 46. Titulare est*, quod confertur in titulum perpetuum, & per se loquendo semel collatum tolli non potest. Si Episcopus in beneficium manuale aliquem perpetuò instituat, vel sub tali titulo ordinet, adhuc revocari poterit; quia actus Episcopi non debet præjudicare habenti potestatem revocandi, nisi hic consentiat. *Leuren. &c.*

9. §. Alia sunt beneficia *sociabilia*, alia *insociabilia*, seu incompatibilia; sociabilia vocantur, quorum officium ab uno eodèmq; præstari potest, veluti Canonatus & Decanatus, duo altaria diversa sacra habentia; hujusmodi sine dispensatione Papæ duo, vel plura simul haberi possunt, si ita necesse est ad honestam sustentationem, *Trid. Sess. 24. c. 17. de refor. insociabilia* sunt, quorum officium ab uno præstari non potest, velut omnia beneficia, quæ annexam habent curam animarum, dignitatem, personatum, officium &c. Item beneficia uniformia v. g. duo Canonatus sub eodem recto, aut si sint sub diversis tectis, seu Ecclesiis, sed singula residentiam requirant; qui duo, vel plura hujusmodi beneficia sine dispensatione Papæ retinere contendit, non tantum primo privatur ipso jure sed etiam secundum saltem post sententiam judicis amittit, & insuper ad S. Ordines, & quodvis beneficium inhabilis existit. *Trid. Sess. 7. c. 4. de*

de refor. ad hunc tamen effectum requiritur 1. Ut beneficium sit integrè obtentum, ita ut non tantùm habeatur possessio, sed & fructus percipi valeant, aliàs enim talis possessio inutilis foret, *c. si tibi 26. d. t. in 6.* 2. Requiritur, ut utrumque beneficium, vel dignitas sit perpetua; ex hoc enim capite Decanus potest sine dispensatione fieri Vicarius Episcopi; nam quamvis Decanatus & Vicariatus ambo sint Dignitas, quia tamen Vicariatus ad nutum revocari potest, est cum aliâ Dignitate, vel beneficio sociabilis.

6. Ad beneficia reducuntur Capellania, Com-
menda, præstimonium, Vicaria, Coadjutoria,
Pensio, Præbendæ Canoniarum &c. 10.

Capellania est onus legendi ex fundatione certas Missas, cum jure recipiendi stipendium pro labore in sustentationem Capellani; si ejusmodi fundatio erecta est auctoritate Episcopi in titulum, dicitur Ecclesiastica, & habet rationem veri beneficii; si verò fundatores reservârunt sibi, vel suis hæredibus jus eligendi pro libitu Sacerdotem ad has Missas sine institutione Episcopi, dicitur Capellania laica, seu electiva, & non venit nomine beneficii; *Reiffenst. l. 3. t. 5. n. 72.*

Commenda est beneficii vacantis, ejusque ad-
ministrationis facta commendatio. 11.
Si fiat ad tempus tantùm, beneficium dici non potest; hoc enim ex naturâ suâ est perpetuum; si ad vitam fiat commendatio, est verum beneficium, & titulus Canonicus. *Gloss. & DD. in c. nemo 15. de elect. in 6. Gonzales Gloss. 5. §. 8 Barb. c. 9. n. 22. Reiffenst. n. 79.* Commenda perpetua ideo inventa est, ut persona aliàs inhabilis (veluti existens in minori ætate, vel ha-

bens aliud beneficium incompatibile, aut sæcularis ratione Abbatix, vel Prioratus regularis) saltem sub Commendâ idem beneficium obtineat, ejusque fructus lucretur, hinc *Barbosa* Commendam perpetuam vocat palliatam, aut tacitam dispensationem ad obtinenda beneficia, alioquin respectu talium personarum prohibita, ideoque à solo Papâ concedi potest, eò quòd ille solus super hujusmodi inhabilitate dispensare possit. *Trid. Sess. 7. c. 4. de refor.* Commendam temporalem etiam Episcopus concedere potest, dummodo Parochia non ultra 6. menses commendetur. *c. nemo 15. de elect. in 6.*

12. *Coadjutoria* est facultas, seu concessum officium adjuvandi beneficiatum ex morbo, senio, vel aliter impotentem in regimine beneficii sui; alia est temporalis, quæ ad tempus v. g. quamdiu coadjutus vivit, vel quamdiu impedimentum durat, conceditur; hæc non habet rationem veri beneficii, & ab Episcopo, vel alio Prælato inferiore potestatem habente conferri potest cum proportionatâ assignatione fructuum &c. *alia est perpetua*, & cum spe successionis, quando coadjuto mortuo coadjutor in ejus beneficium, vel dignitatem succedit, quæ successionis species, tanquam involvens votum captandæ alienæ mortis in jure est detestabilis juxta *c. 1. & 2. de concessione præb.* ideoque à solo Papâ concedi potest; juxta aliquos est, juxta alios non est verum beneficium, quia beneficium manet penès coadjutum, nec penès duos esse potest; quidquid de hoc sit, certum est, Coadjutoriam sive temporalem, sive perpetuam sine simoniâ vendi non posse; quia continet officium spirituale; & perpetua inli-

insimul jus ad beneficium. Vid. dicta Cas. 66.
n. 17.

Vicaria dicitur à vices gerendo; si constituatur 13.
ad tempus, non est verum beneficium, nec cau-
sat obligationem orandi Horas, potestque possi-
deri à non consurato, ab impubere &c. si autho-
ritate Episcopi constituatur in perpetuum, habet
rationem veri beneficii, & quidem si annexam
habeat curam animarum, requirit Sacerdotium,
& eandem ætatem, quàm beneficia curata. *Val-*
lensis. Barb. c. 5. n. 9. Engel. l. 3. t. 5. n. 3. Pirhing
ibid. n. 15. In dubio, an beneficium aliquod sit
curatum, vel simplex, præsumitur simplex; quia
in dubiis quod minimum est, sequimur, nisi ali-
unde probetur oppositum.

Præstimonium est certum stipendium, quod 14.
clericis studentibus assignatur ex redditibus Eccle-
siasticis: Si ejusmodi stipendium detur in titu-
lum, & propter officium spirituale, v. g. ob re-
citandas Horas, veram habet rationem benefi-
cii; secus, si tantum ad tempus, & non ob offi-
cium spirituale detur, ac ita conciliantur AA.
quorum aliqui affirmant, alii negant esse verum
beneficium. *Engel, Schmalzgruber, n. 9. Reif-*
fenst. à num. 82.

Pensio est jus percipiendi certam portionem
ex alieno beneficio, quale jus sibi persæpe re-
servant, qui in alterius favorem resignant; ve-
rius est ejusmodi pensionem non esse verum be-
neficium; quia ex eâ præcisè non oritur obliga-
tio recitandi Horas Canonicas, nec pensio est
ipsum beneficium, sed ex eo constituitur; nec
est perpetua, cum extinguatur morte pensiona-
rii, beneficium verò morte beneficiati non ex-
tinguitur.

Pre-

15. *Præbende Canonessarum secularium* non sunt propriè beneficia; beneficium enim non potest possideri, nisi à clerico; si tamen Collegia ejusmodi sint erecta auctoritate Ecclesiasticâ, & præbendis annexum sit officium spirituale, uti plerumque fit, sunt materia simoniæ, ut definit S. Congregatio apud *La Croix l. 3. p. 1. num. 105. idem lib 4. n. 230.* dicit, plures ejusmodi præbendas sine dispensatione pontificiâ possideri posse, non tamen duo Collegia uni Abbatiſſæ subesse, prohibente id Concilio Coloniensi sub Paulo III. ann. 1536. & hujusmodi Canonessas, etsi votum obedientiæ non emiserint, teneri obedire suæ Abbatiſſæ in iis, quæ salutaria & justa sunt, decernit Honor. III. *in c. dilecta 12. de majorit. & obed* an verò indies obligentur ad chorum, & extrâ chorum sub mortali ad Horas, attendendum est ad mentem fundatorum, quæ videtur esse pro obligatione; videmus enim eas id studiosè observare, & à parentibus illud seriò inculcari; & ratione suæ præbendæ instar Canonicorum ex bonis Ecclesiasticis percipiunt fructus, sùntq; divino servitio & choro mancipatæ, ergo perinde ac Canonici tenentur horas canonicas in choro & privatim recitare; accedit, quòd pleraq; Canonessarum collegia ex primæva foundatione suâ fuerint Monasteria monialium S. Benedicti, ut testantur Concilia, Remense sub Eugenio III. & Aquisgranense *Can. 16.* ergo æquitas naturalis videtur exigere, ut quarum occupant bona & loca, earum impleant onera, inter quæ præcipuum est divini officii pensum, ita *Malderus Wigors, Van-Roi &c. contra Lessium*; at hæc non ita stringunt, quin sit probabile, has Canonessas extra chorum ad horas non obligari,
nam

nam neq; vera habent beneficia ut Canonici, neque succedunt in omnia onera monialium, imò nec omnes moniales extra chorum ad horas obligantur, ut ostendi c. 72. n. 2. neque satis constat de mente fundatorum aut Papæ, cujus auctoritate hæc bona monialium ad eas translata sunt, & proles honestè educatæ solent etiam ea studiosè observare, quæ à parentibus inculcantur tanquam valde decentia, & cùm ex naturali gratitudine ad aliquas preces pro fundatoribus fundendas obligentur, & preces in Ecclesiâ receptissimæ sint Horæ Canonicæ, non est mirum has à piis parentibus multùm filiabus recommendari, indè tamen non sequitur quotidiana, & mortalis ad ea obligatio extrà chorum. Finis intrinsecus, & principalis ejusmodi præbendarum est, ut puellæ nobiles honestiùs educentur, usque dum nubant; hinc occultè maritata videtur incapax ad has præbendas, earùmque fructus; occultè corrupta autem, cum adhuc sit cælebs, expectetque honestum matrimonium, est capax, nec tenetur fructus perceptos restituere, quamvis statutum Collegii habeat, quòd debeant castè vivere; cùm enim hoc sit pœnale, non obligat ante sententiam declaratoriam, neque cessat respectu corruptæ finis intrinsecus præbende sicut cessat respectu maritatæ.

La Croix. l. 6.



CASUS

CASUS LXXVII.

Ad Tit. 38. lib. 3. Decret.

De Jure Patronatûs.

Baldus multa habet conferre beneficia, querit
 1. Quot modis acquirantur? 2. An benefici-
 cium alteri, quam presentato conferri possit. 3.
 Qualiter jus Patronatûs Patrono sit utile, honorifi-
 cum. 4. An seipsum presentare possit, an alium ad
 beneficium nondum vacans. 5. Quid patronatus Ec-
 clesiasticus, laicus, mixtus. 6. An accumulare,
 vel presentato semel indigno variare possit. 7. Quid
 si presentatio non fiat inter quatuor, vel sex menses
 prafixos. 8. An Papa soleat derogare juri Patrona-
 tûs. 9. Quid de Bullâ Pii V. qualiter in Juliâ & Cli-
 viâ devolutio fiat ad Principem. 10. An Episcopus
 possit tempus presentandi prorsogare, an computari
 debeat de momentò ad momentum, an à die ha-
 bitanotitiae, vel vacationis beneficii, an currat
 principibus vel impedito. 11. Quid sit Patronatus
 hereditarius, gentilitius, 12. Realis, personalis,
 an competat mari & foemina, infanti, impubert.
 13. Qualiter acquiratur fundatione, 14. Con-
 structione, 15. Dotatione. 16. An ad hoc re-
 quiratur consensus Episcopi. 17. Qualiter in
 alios transferatur hereditate, donatione, permu-
 tatione, venditione. 18. An transferatur cum feu-
 do, dote, locato, pignore. 19. Qualiter Patrona-
 tus amittatur dote, vel Ecclesia pereunte, vel prin-
 cipaliori unitâ. 20. Qualiter amittatur prescriptione,

21. Delicto. 22. An existens in possessione juris presentandi validè presentet ante & post motam litem.

Beneficia præcipuè acquiruntur triplici modo : I. institutione, collatione, & electione; institutio est concessio beneficii ad præsentationem Patroni; collatio est libera concessio beneficii independentè ab aliquo præsentante; electio est designatio personæ idoneæ ad beneficium per suffragia; præsentatio est exhibitio personæ beneficiandæ facta illi, ad quem pertinet instituere; præsentatio & electio dat solum jus ad rem, institutio verò præsentati, & confirmatio electi, dat jus in re, quemadmodum & libera collatio; sed de his in seqq. pro nunc explicabimus naturam, & proprietates juris Patronatûs, tanquam causam præsentationis ad beneficium. Igitur :

QUÆR. I. Quid sit Jus Patronatûs?

R. Est jus præsentandi Clericum ad beneficium vacans, germanicè : ein Pfarlehn oder geistliches Lehn-Recht / qui tale jus habet, Patronus vocatur.

Dicitur imò, *jus presentandi*, nam Episcopus alteri beneficium conferens, quàm præsentato, non tantùm præsentato, sed & Patrono injuriam facit; & ejusmodi collatio annullari, ac beneficiatus amoveri debet, nisi Patronus consentiat, aut intrà tempus ad præsentandum à jure concessum non reclamet; tunc enim collatio manebit firma. Barb. Felin. Valens. Gonz. ad reg. 8. Gloss. 56. n. 78. Schambog. l. 3. t. 38. num. 63. Engel ibid. num. 2. hoc autem jus Patrono est honorificum, utile, & onerosum; *honorificum*, quia in Ecclesiâ, & Processionibus debetur ei locus dignior; *utile*, quia in casu paupertatis tenetur cum Ecclesiâ præ aliis

pat-

pauperibus alere exiis, quæ deductis expensis necessariis supersunt; est *onerosum*, quatenus ei incumbit Ecclesiæ prospicere, ne ejus bona dilapidentur, vel contra intentionem fundatoris applicentur.

Dicitur 2dò, *7us presentandi Clericum*, hoc est, primâ tonsurâ insignitum, sine hoc enim nemo est capax beneficii Ecclesiastici: Patronus verò seipsum, licet sit Clericus, præsentare non potest ob præsumptionem ambitionis, *c. 22. de jure pat.* supplicare tamen poterit Episcopum, ut sibi beneficium conferat; supplicando enim non reputatur quis ambitiosus. Econtrâ filios, aliosque consanguineos præsentare non prohibetur, ne hi sint pejoris conditionis, quàm extranei, qui ad fundandum, vel dotandum beneficium non concurrerunt.

4. Dicitur 3tîd, *ad beneficium vacans*, quia præsentatio ad beneficium nondum vacans reprobatur *c. 2. § 13. de conces. preb.* & promissio etiam jurata de faciendâ præsentatione, postquam beneficium vacaverit, est illicita, & irrita propter occasionem captandæ mortis alienæ; si tamen Patronus putavit bonâ fide, beneficium vacare, præsentatio valet, & beneficio ex post vacante convalescit. *Corradus lib. 4. c. 6. n. 37.*

QUÆR. II. Quid circa divisionem juris Patronatûs?

5. 2. Dividitur variè; 1. in Ecclesiasticum, sæculare seu laicum, & mixtum. *Ecclesiasticum* est, quod competit Collegio, communitati, personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, Dignitatis, vel Beneficii Ecclesiastici, etiamsi originem habeat ex patrimonio Laici; pariter Ecclesiasticum est, quod ex bonis Ecclesiasticis fundatur, vel

vel dotatur. *Laicum* est, quod à Laico, vel Clerico non ratione Ecclesiæ, sed ratione fundationis, vel dotationis ex bonis patrimonialibus tenetur. *Mixtum*, quod partim ratione Ecclesiæ, partim ratione fundationis laicalis competit. *Barb. Garcias. Vallens. Schamb. Zoës. l. 3. tit 38.* in Patronatu mixto si Clericus & Laicus conveniant, ut alternis vicibus præsentent, in eo casu & pro eâ vice, quâ Laicus præsentat, totum jus Patronatûs Laicum censebitur, pro eâ verò vice, quâ Clericus, totum Ecclesiasticum; videtur enim tunc mixtorum natura per hanc alternativam pro illis vicibus reducta ad sua simplicia *Reiffenst. hic n. 53.* si verò alternativâ non utantur, sed simul & semel præsentent, gaudebit favoribus Patronatus Laici, ita ut non conferatur necessariò per concursum, neque in eo reservationi Pontificiæ locus sit. *Garcia de benef. p. 5. c. 1. num. 582. Barb. l. 3. c. 12. num. 18. Schmalzgruber l. 3. t. 38. num. 11. § 29. Krimer l. c. gaudebit pariter favore Patronatûs Ecclesiastici, ita ut & Laicus, & Clericus sex menses ad præsentandum habeant. Robert. Konig tit. 38. num. 6.* variæ autem sunt differentiæ inter jus Patronatûs Laicum, & Ecclesiasticum; nam 1. Patronus Laicus ad beneficium vacans plures, vel simul, vel successivè, re adhuc integrâ, & nondum factâ institutione præsentare potest, non quidem privativè, ut primum privet jure suo, sed accumulativè, ita ut Episcopus, quem voluerit, eligere possit; si tamen unus fuerit indignus, alter necessariò eligendus erit; si neuter sit dignus, Laicus non amittit suum jus, sed novum præsentare poterit;

B

econ-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

- econtrà Patronus Ecclesiasticus non nisi semel unum, vel plures præsentare potest; & si scienter indignum præsentet, privatur istâ vice jure præsentationis, & relinquitur Episcopo libera beneficii collatio. *c. nulla 2. de conc. præb. clem. un. de supp. negl. præl. Vall. §. 5 n. 2. Reiffenst. à n. 83.* 2. Beneficia Parochialia, quæ sunt sub Patronatu Ecclesiastico, per concursum concedi debent *Trid. Sess. 24. c. 18. de reg.* non verò quæ subsunt Patronatui
7. Laico, *Schmalzgr. num. 17.* 3. Patronus Laicus ad præsentandum habet tantum quatuor, Ecclesiasticus sex menses à die habitæ notitiæ *c. 22. §. 27. de jurep.* Ratio congruentiæ est, quòd Laicus possit in præsentando variare, non verò Ecclesiasticus, cui propterea meritò plus temporis conceditur; si intrà tempus præfixum, vel ex negligentia, vel quia non conveniunt Patroni, Præsentatio non fiat, collatio beneficii pro ea vice devolvitur ad eum, ad quem pertinet institutio, *c. 27. h. t. Barb. de pot. Ep. alleg. 72. num. 141.* si verò præsentatio in tempore facta effectum sortita non est ex facto Episcopi, aut ex negligentia, renunciatione, morte, vel occulta inhabilitate præsentati, conceditur Patrono novum quadrimestre, vel semestre à tempore renunciationis, mortis, vel alterius defectus cogniti. *c. 26. de elect. in 6.* nisi in prædictis fraus intercesserit. *Barb. Schmalzgruber. l. c. König. num. 27.* Ratio est, quòd alterius mors vel negligentia non debeat redundare in præjudicium Patroni.
8. 4. Papa non solet derogare juri Patronatus Laici ejus beneficia reservando, imò Legatus Pontificius ea nequidem potest reservare
9. *c. 28. h. t.* secus est de Ecclesiastico. *Azor. Pyr. num. 135.* Econtrà conveniunt Patronatus La-
- Lai-

Laicus, & Ecclesiasticus in sequentibus : 1. Vi Bullæ Pii V. ubi ea recepta est, tam Laicus, quàm Ecclesiasticus, ad beneficia curata præsentare debet intra 20. dies, & præsentatus institui intra duos menses à die peracti examinis. *Leur. q. 135.* præsentatio si non fiat intrâ tempus, pro illa vice [devolvitur ad Superiorem, & quoniam 3. h. t. in Julia, Clivia, & Montibus pro bimestri priùs devolvitur ad Principem seu Ducem, intellige in beneficiis, quæ sunt Patronatûs laici. 2. Episcopus vel alius, ad quem per- 10. tinet institutio, tam Patrono Laico, quàm Ecclesiastico potest termino nondum elapso, prolongare tempus ad aliud quadrimestre, vel semestre *Riccus, Flam. l. 7. de resig. quest. 29 Barb. num. 143. Wiestn. hic num. 97.* imo ipsos fundatores tempus illud in littera foundationis, non tamen ex post, prorogare posse docent *Vivian. Wiest. num. 98. Pyrh. num. 43.* 3. Hoc tempus computandum est de momento ad momentum, non à die, quo vacavit beneficium, sed à die habitæ notitiæ, & qui contendit præsentationem non esse factam in tempore, debet probare Patronum habuisse notitiam vacationis; quia non præsumitur scienter voluisse negligere jus suum. *Garcias de Luca de jurep. disp. 64. num. 5. Reiffenst. num. 55.* 4. Tempus præsentandi non currit summis Principibus, aut etiam privato legitime impedito, *Garcias c. 2. num. 38* neque ignorantibus Ecclesiæ vacationem, *Barb Valens. Schmalzgr. num. 210.*

Dividitur 2. Jus Patronatus in hæredita- 11. rium & gentilitium; *hæreditarium* est, quod transit ad quoscunque hæredes etiam extra-

neos, & tale in dubio semper præsumitur, ut notat *Panor. in c. cum sæculum 13. de jure pat. gentilitium* est, quod certæ tantum familiæ competit *Lotter. l. 2. de benef. quæst. 11. num. 13. Barb. num. 20.*

12. *Dividitur* 3. In personale & reale; illud personæ fundatoris vel hæredis adhæret, hoc castrum vel prædium sequitur, ita ut Dominus castri etiam sit Dominus juris Patronatûs; potest autem jus Patronatûs competere, & masculo & fœminæ, impuberi, & illegitimo, teste *Laym. lib. 4. tr. 2. c. 13* si pupillus infans sit, ejus nomine tutor præsentabit, *Garc. c. 9. num. 103.* si verò infantiam egressus septennio major sit, in præsentando tutori præfertur; tum quia est Dominus hujus juris, tum quia nequidem patria, minùs tutoria, potestas post usum rationis in spiritualibus locum habet, per ea quæ notantur in *c. fin. de jud. in 6.* de honestate tamen erit, ut pupillus authore tutore præsentet.

QUÆR. III. Quot modis jus Patronatûs primò constituitur?

13. *Re.* Modi, quibus primò constituitur Jus Patronatûs, sunt tres: fundatio, constructio, dotatio, qui singuli disjunctivè sufficiunt, ita ut, si unus fundavit, alter construxit, tertius dôtavit, quilibet gaudeat jure Patronatûs, ut omnes simul, vel alternis vicibus præsentare queant. *Fundare dicitur*, qui concedit fundum, in quo construendum debet Ecclesia, Capella, altare &c. *c. nobis 25. de jurep.* idèoque ille Rector, Parochus, vel Abbas, qui in suâ Ecclesiâ permittit erigi Capellam, vel altare in titulum perpetuum, seu beneficium, in jure præsentandi concurrat cum dôtante, vel ædificante, quia contulit fundum:

ille

ille censetur *construere* Ecclesiam, qui pro illâ 14.
 ædificandâ suo nomine expensas, sumptûsque fa-
 cit. *c. 25. cit.* aut qui fundiûs destructam, ita,
 ut novâ indigeat consecratione, reædificat; æ-
 quum tamen est, ut Episcopus priorem Patro-
 num moneat, cûmque Ecclesiam reficere volen-
 tem præ quovis extraneo admittat. *Garcias c. 9. 15.*
num. 51. *Dotare* Ecclesiam dicitur, qui jam con-
 structæ annuos proventus in sustentationem mini-
 strorum perpetuò assignat. Econtrâ qui post pri-
 mam dotationem novos fundos, vel redditus Ec-
 clesiæ tribuit, etsi plures sint, quàm priores,
 non fundator, sed benefactor Ecclesiæ dicitur;
 nisi prior dotatio injuriâ temporum periûisset, itâ ut
 hæc censeretur quasi nova. *Engel, hic num. 21.*
 idem est de Ecclesia planè dirutâ, & de novo con-
 structâ, tunc jus Patronatûs non primo ædificanti,
 sed restauranti debetur. *Garcias num. 51. Vallens. 16.*
num. 3. Zoës. num. 6. Wiestn. num. 25. Notan-
 dum tamen hîc est, quòd ad effectum acquirendi
 jus Patronatûs, fundatio, constructio, dotatio
 fieri debeant cum autoritate, & licentiâ Episco-
 pi, per *cit. c. 25.* sufficit tamen consensus etiam
 ex post accedens, ut si Episcopus templum sine
 consensu suo ædificatum ex post acceptet, & con-
 secrari jubeat; inò in dubio ex diuturnitate tem-
 poris ejus consensus præsumitur. *Garc. num 72.*
Barb. num. 21. Schamb. Menoch. Schmalzgr n. 36.

QUÆR. IV. Quibus modis jus Patronatûs
 jam constitutum in alios transferatur?

17.
 1. Quatuor modis: 1. Successione in hæredi-
 tatem, vel jurâ patroni, sive mas sit, sive fœmina.
c. 1. h. t. Barb. num. 9. Pyr. num. 44. 2. Dona-
 tione, quæ si fiat Laico, requiritur ad valorem
 consensus Episcopi, non verò si fiat Ecclesiæ, vel

loco religioso. *c. illud 8. § c. un. de jurep. in. 6.*
 Si tamen sint plures compatroni Laici, unus alteri
 jus suum irrequisito Episcopo liberè remittere
 potest. *Passerinus in c. unic. h. t. num. 7. Vallens.*
§. 4. num. 3. Zoës. num 14. Eng. num. 22. Schamb.
num 42. arg. clem. 2. h. t. 3. Permutatione juris
 Patronatûs cum alio spirituali factâ cum consensu
 Episcopi; *Dixi*, cum alio spirituali, nam per-
 mutatio ad temporalia reprobatur tanquam Simo-
 niaca, *in c. ult. de rerum permut.* 4. Venditione,
 non quâ ipsum jus Patronatûs, sed quâ castrum
 vel prædium, cui illud jus cohæret, venditur;
 ut autem eviretur omnis simonia, non debet in
 tractatu fieri specialis conventio super jure Patro-
 natûs, neque propterea augeri pretium, aut ha-
 beri alius respectus temporalis; sed hoc ipso, quo
 ejusmodi prædium transfertur, transfertur simul
 jus ei cohærens, dummodo specialiter non exci-
 18. piatur, *c. 7. de jurep.* & ibi DD. communiter;
 eâdem ratione per contractum feudalem, vel Em-
 phyteuticum cum castro vel prædio transfertur jus
 Patronatûs ei annexum; item si uxor marito ejus-
 modi bona in dotem afferat, non uxor, sed ipse
 præsentationem faciet; cum ad maritum domi-
 nium civile dotis, & jus percipiendi fructus ex re
 dotali pertineat. *Laym. Zoës. h. t. n. 36. Garc. nu.*
177. Schmalzgr. n. 83. Engel. n. 23. qui etiam di-
 cunt ad conductorem longi temporis scilicet 10.
 annorum transire jus Patronatûs annexum bonis
 conductis; quia conductor longi temporis verè
 est emphyteuta, & habetur pro possessore. *l. 1.*
§. 3. ff. de superficies. & regulariter omnes fructus,
 qui per contractum, vel consuetudinem speciali-
 ter excepti non sunt, percipere potest, quod
 non tenet de conductore modici temporis. Multò
 mi-

minùs jure Patronatùs uti poterit creditor, qui ejusmodi castrum sibi oppignoratam habet, per c. cum Bertholdus 18. de sent. & ne jud. Lambertin. Barb. Azor. Vallens. §. 4. nu. 2. Wiestn. num. 186. Ratio est, quòd creditor non possit ex re oppignoratâ fructus percipere, nisi cum obligatione eos Domino restituendi, vel in sortem computandi; sed præsentatio est fructus, quem nec in sortem computare potest, cum si quid spirituale, nec restituere, postquam præsentatus ab Episcopo fuerit institutus, ergo.

QUÆR. V. Quibus modis jus Patronatùs amittatur?

12. Seqq. 1. Si Ecclesia vel dos planè pereat. 19.
 2. Si cum patroni consensu ex Ecclesia fiat Monasterium, vel Ecclesia Collegiata; cum in his non præsentatio, sed electio obtineat. 3. Si Ecclesia patronatui obnoxia uniatur alteri Ecclesiæ, vel Monasterio sine juris reservatione; quia Ecclesia alteri principaliori unita censetur quasi extincta. Pyr. num. 138. 4. Deficientibus successoribus aut extincta familia patroni. 5. Per non usum amittitur jus Patronatùs, si saltem duabus vicibus non præsentarit. Riccius. Barb. num. 5. Eng. num. 26. intellige, si lapsam simul sit tempus ad præscriptionem requisitum; jus autem Patronatùs, contra Ecclesiam liberam à tali jure, non præscribitur, nisi quadraginta annis cum titulo, sinè titulo tempore immemoriali. Trid. sess. 25. c. 9. de reform. contra alium patronum, si hic Laicus sit & præsens, decem, si absens viginti annis cum titulo, sinè titulo annis triginta; contra patronum Ecclesiasticum, cui hoc jus ratione officii vel dignitatis competit, ab Ecclesiastico præscribitur annis quadraginta, à Laico non nisi tempore im-

memoriali. *Vallens. Barb. Schmalzg. n. 166. Reif-
fenst. n. 15. 6.* propter delictum hæresis, schisma-
21. tis, apostasiæ, aut læsæ Majestatis. 7. Si in Re-
ctorem vel Clericum Ecclesiæ patronatæ impias
manus injecerit, eum vulnerando, vel occiden-
do. 8. Si reditus beneficii sibi attraxerit, aut be-
neficiatum ab eorum perceptione malitiosè impe-
dierit. *DD. cit. 9.* Si patronus jus Patronatûs
venditione, vel simili contractu à jure prohibito
in alium transtulerit. *Trid. sess. 25. de refor. c. 9.
& DD. cit. 10.* Excommunicatus non toleratus
saltem Ecclesiasticus privatur usu juris Patronatûs
usque dum absolvatur; quia per ejusmodi excom-
municationem tollitur omnis jurisdictio, Laicus
non toleratus etsi juxta *Covar. Dian. p. 5. t. 9. resol.
105.* validè præsentet, tamen Episcopus ejus præ-
sentationem admittere non potest, quia cum eo
communicare prohibetur. *Zoes. n. 59. Schmalzg.
n. 7.* probabiliter dicunt utriusque præsentatio-
nem valere, & præsentato jus acquiri, sed Epif-
copum non posse admittere præsentationem fa-
ctam à vitando, usque dum absolvatur, quia
prohibetur cum eo communicare. Notandum
etiam, quòd jus Patronatûs ex causa delicti non
amittatur nisi post sententiam declaratoriam judi-
cis; nisi delictum foret notorium, *Gail. 2. obs. 51.
num 6.*

22. QUÆR. VI. An validè præsentet nudus pos-
sessor?

R. Qui bonâ fide possidet jus præsentandi,
quamvis tantùm unum actum habeat pro se, validè
præsentat, & ab ipso præsentatus est instituendus,
etsi ex post motâ sibi lite in petitorio succumbat;
quia præsentatio est fructus possessionis, qui spe-
ctat ad bonæ fidei possessorem. *C. consultationi-
bus.*

nibus. 19. h. t. Leur. Reiffenst. Engel. n. 14. Pyrkh. n. 77. ubi dicit id tenere, si præsentatio facta est ante motam litem; nam lite contestatâ possessori, præsentatus institui non debet; eò quòd fructus post contestatam litem percepti, etiam à possessore bonæ fidei restitui debeant, factâ autem institutione non posset restitui beneficium, eò quòd institutio det jus perpetuum. Econtrâ *Hofst. Vivian. Hon. hic n. 58. Wiest. n. 57. Schamb. n. 55. aliique cum Schmalzg. n. 87.* probabiliùs docent etiam pendente lite à possessore bonæ fidei præsentationem fieri, & præsentatum institui posse. Ratio est, quia favor Ecclesiæ, & si beneficium sit curatum, etiam bonum animarum exigit, ne ritè præsentati institutio differatur, & in præsentando solùm attenditur possessio *C. cum Ecclesia 3. de caus. poss. & prop.* atque per litis pendentiam possessio non tollitur, ergo: *Nec obstat Ratio* in contrarium allata; quia re evictâ illi tantùm fructus restituendi sunt, qui restitui possunt salvo jure possessionis, & qui sunt prætio æstimabiles, quale quid non est jus Patronatûs.



CASUS LXXVIII.

In Tit. 7. l. 3.

De Institutionibus &c.

CAutius beneficiandus interrogatur 1. *Quae* etas requiratur ad SS. Ordines. 2. *Ad* beneficia simplicia, 3. *Ad* curata, 4. *Ad* Dignitates, 5. *An* admitti possit presentatio extra tempus facta. 6. *An* ad beneficium pro certa familia fundatum valide admittatur extraneus. 7. *An* valeat presentatio uno patrono non vocato. 8. *An* major pars patronorum consentire debeat; quid si aliqui ex post variant. 9. *Quid* si major pars presentet indignum vel minus dignum. 10. *Quid* sit institutio collativa & corporalis. 11. *Qualiter* fiat. 12. *Ad* quem spectet. 13. *Quid* de institutione authorizabili. 14. *Collatio* cui fieri debeat, & à quo. 15. *An* Capitula & Vicarii Generales sede vacante beneficia Episcopi conferre, vel presentatos instituere valeant. 16. *Ad* quem spectet conferre Canonici Cathedralis, 17. *Vel* collegiales. 18. *An* & quae Parochia per concursum conferenda. 19. *An*, & ad quem fiat devolutio, si institutio, vel collatio differatur. 20. *An* collatio antea ceptionem revocari possit. 21. *Quid* de eo, cui beneficium est invalide collatum. 22. *An* plura beneficia haberi possint. 23. *An* hic excuset

set dispensatio Papa, vel consuetudo. 24. An institutio, vel collatio à nudo possessore facta sit valida.

25. An ex prescriptione competere possit Laico. Pro resol.

QUÆR. I. Quis ordo, & ætas requiratur in instituendo?

Re. I. Instituendus debet ante omnia esse 1. Clericus, hoc est, debet habere primam Tonsuram.

2. Debet habere ætatem ad beneficium & Ordines beneficio annexos requisitam: requiruntur autem ex communi DD. ad Tonsuram, lectoratum, ostiatorum, & exorcistatum anni septem, ad acolytatum duodecim, omnes completi; ad Subdiaconatum ex *Trid.* requiritur vigesimus primus, ad Diaconatum vigesimus secundus, ad Sacerdotium vigesimus quartus, omnes completi; docent autem DD. cum *Barbosa* communiter hoc tempus accipiendum esse de momento ad momentum, ita ut si vel una hora desit, Ordines licitè conferri, & recipi nequeant; dies tamen bisextilis non computatur, qui ante legitimam ætatem Ordines recipit, ipso facto est suspensus, & in suspensione ministrans fit irregularis; ab hac tamen suspensione quilibet Sacerdos absolvere potest, ut docet *Laym. in resp. morali dub. 10.* qui bonâ fide processit, aut hanc pœnam ignoravit, eam non incurrit; quia ignorans censuram, vel bonâ fide procedens non est contumax contra legem aut censuram, ut dicam *Cas.*

113.

3. Ex *Trid. sess. 23. c. 6. de reform.* requiritur ad 2. beneficia simplicia annus 14. saltem inchoatus *Barb. ad d. c. 6. Garc. de benef. p. 7. c. 4. num. 11.* ubi pro hoc adducit decisionem S.

•Con-

Congreg. si verò in fundatione beneficii cautum sit, ut etiam impuberi rectè conferri valeat, tali fundationi non censetur derogasse Trid. *Engel. l. 1. tit. 14. n. 29.* ubi addit, Episcopum non posse dispensare, ut minor 14. annis beneficium habeat; quia dispensatio contra Canones, & Concilia regulariter soli Papæ, qui supra Canones est, competit; putat tamen ad pensionem sufficere septem annos, eò quòd pensio in odiosis non veniat nomine beneficii.

3. 4. Ad Prælaturas regulares & beneficia curam animarum habentia præter necessariam doctrinam & morum integritatem requiritur annus 25. inchoatus, & præterea ut intrà annum suscipiant Ordinem Sacerdotii, alioquin anno elapso ipso jure sunt privati beneficio. *c. licet. 14. & c. commissa 35. de elect. in 6.* si ad Parochiam præsentetur constitutus in solis Minoribus, is repelli non debet, sed admitti & institui, modò intrà annum ad Sacerdotium promoveatur. *Text. & DD. in c. si is de instit. in 6.*

4. 5. Ad Episcopatum requiritur annus trigessimus completus *c. 7. de elect.* & præterea eligendus debet per sex menses fuisse in Subdiaconatu. *Trid. Sess. 22. c. 2. de ref.* ad Dignitates curam animarum non habentes sive propriè, sive nomine tenus tales sint, veluti Personatus, viginti duobus annis non minores assumendi sunt. *Trid. sess. 14. c. 12.* quod *Barbosa* etiam extendit ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium; alii econtrà dicunt, ad hos utpote beneficia simplicia, & à Trid. specialiter non excepta sufficere annos 14. nisi requirant Ordines Majores, nam *Trid. l. c.* dicit generatim de omnibus beneficiis, quæ certum Ordinem

dinem requirunt, quod intrà annum talis Ordo recipi debeat, aliàs si beneficium sit curatum, ipso facto illud amittitur, aut in aliis beneficiis media pars fructuum subtrahitur, & crescente contumaciâ etiam beneficio per sententiam privari poterit. *Clem. 2. de etat. & qualit. ord.*

QUÆR. II. Quid circa præsentationem? 5.

R. *Seqq.* 1. Præsentatio est exhibitio personæ idoneæ ad beneficium vacans facta Episcopo vel ei qui potestatem instituendi habet: debet autem fieri intrà tempus legitimum, quale pro patrono Laico, ut dixi cas. præc. est quadrimestre post habitam notitiam, pro Ecclesiastico semestri, quo neglecto beneficii provisio ad Episcopum, vel illum cuius est instituere, pro illa vice devolvitur. *c. 3. 22. & 27. de jurep.* ita tamen, ut præsentatio extra tempus præfixum facta admitti, & præsentatus institui possit. *per c. 4. & ibi gloss. de suppl. negl. Præl.* nisi fortè admissio & institutio ejusmodi cedat in præjudicium tertii legitimè præsentati, ut ex *Celso* bene notat *König hic num. 9.* potest tamen Episcopus, vel ille ad quem spectat instituere, tempus præsentandi prolongare ad aliud quadrimestre, vel semestri, non tamen ultra; quia hoc tempus in favorem instituentis præfixum est, cui cedere potest. *Leur. La Croix de benef. n. 307.*

2. Si fundator ordinaverit, ut ad beneficium præsentetur, vel beneficium conferatur uni ex suis descendibus, præsentatio, & collatio alteri facta est nulla, modò idoneus de familia haberi possit; si nullus intrà tempus præsentandi de familia contradicat, præsentatio extranei sustinetur non minùs, quàm præsentatio facta spre-

to sed non contradicente patrono. *Corrad. Garc. p. 7. c. 15. num. 1. Reiffenst. l. 3. p. 5. num. 108.*

7. 3. Si jus præsentandi spectet ad plures, omnes vocari debent, si possint, & si unus prætereatur, tota præsentatio est nulla, ut patet à pari in electione; quia nemo sine sua culpa privandus est suo jure. *Garc. Laym. Leuren. quæst. 131. num. 1.* sufficienter tamen censetur quis vocatus, si vacatio beneficii ita ab Ordinario sit publicata, ut omnibus facillè innotescere potuerit.
8. 4. Ut præsentatio valeat, major pars patronorum debet in eam consensisse; hinc si duo Patroni Clericus v. g. & Laicus simul unum idoneum præsentârint, postea verò Laicus alterum præsentando accumulât, Episcopus necesse habet primum instituere, cum sit potior, utpote ab utroque præsentatus, neque Laicus in præjudicium compatroni variare possit. *Abbas in c. cum autem 24. de jurep.* idem est, si tres sint patroni, unus Ecclesiasticus & duo Laici, qui habet duo vota v. g. unum ab Ecclesiastico alterum à Laico, debet institui, quamvis ex post Laicus variet, & sentiat cum altero Laico; quia hæc variatio non potest privare primum jure quæsito; in paritate vocum, & meritorum est locus gratificationi. *C. cum autem de jurep.* nec ab ea gratificatione appellare licet. *Honor. de jurep. num. 58. Vall. §. 5. num. 5. Pyrth. à n. 48.*
9. 5. Requiritur, ut præsentatus sit dignus, hoc est, ut sit morum integritate, ætate, scientiâ, prudentiâque sufficiente &c. præditus; si plures compatroni præsentent indignum, & unus tantum

rùm dignum, dignus ab uno præsentatus instituendus erit; eò quòd totum jus hoc casu consolidetur in præsentante dignum, & indigni præsentatio habenda sit quasi non facta. *arg. c. dudum 22. & c. congregato 3. de elect.* si præsentati in votis & merito sint æquales, Episcopus potest instituere quem vult; si unus sit dignior, illum præ aliis eligere debet, alioquin peccat contra justitiam distributivam. *c. quoniam 3. c. cum autem 24. & ibi Panorm.* institutio tamen minùs digni præ digniore erit valida. *Panorm. inc pastoralis 29. de jurep.* & alii communiter. Si dignus à majori, dignior à minori parte præsentetur, dignus digniori præferendus est; quia dignior in tali casu non censetur præsentatus. *c. quem. 3. & ibi gloss. de jurep.*

QUÆR. III. Quid circa institutionem?

1. Tenenda esse seqq. 1. Institutio propriè dicta, prout contra distinguitur à collatione, est concessio beneficii ad præsentationem patroni, collatio autem est libera beneficii concessio sine prævia ejusmodi præsentatione.

2. Institutio est duplex, *collativa*, quâ per litteras, ut vocant, confirmatorias confertur ab Episcopo titulus seu plenum jus in beneficium, cum per præsentationem tantùm habuerit jus ad rem; altera *corporalis*, per quam confertur actualis beneficii possessio, quæ etiam investitura, installatio, vel immissio vocatur; ex hoc enim, quòd quis ab Episcopo quòdam titulum sit institutus, non potest ipsam actualem possessionem sine licentia, vel introductione Superioris apprehendere, aliàs punitur pœnâ arbitrariâ; imò si violentiâ utatur priorem possessorem v. g. expellendo, ipso facto amittere omne jus ex institutione.

tutione quæsitum docent *Engel l. 3. t. 7. n. 4. Konig ibid. n. 18.* colligunt hoc à paritate cum electo; sed meliùs contradicit *Schmalzg. ibid. n. 6.* quia in odiosis & pœnalibus non valet argumentum à pari.

- II. 3. Modus investiendi est varius, in aliquibus locis præstitâ in manibus Episcopi vel ejus Vicarii professione fidei à *Trid. sess. 24. c. 12.* præscriptâ, insimul juramento obedientiæ, & fidelitatis, imponitur investiendo byretum cum verbis investituram significantibus; alii vocant hanc investituram verbalem, & insuper requirunt realem, sicut in feudis, quâ investiendus in locum beneficii introducatur cum traditione clavium, & jurium; sic Neo-Parochus verbaliter, & realiter investitur, dum per Commissarium Episcopi die festo, quando Parochiani ad divina conveniunt, introducitur in Ecclesiam, publicè juramenta fidei, & obedientiæ præstat, ac insignia parochialia accipit, demum in domum Parochialem deducitur, claves, & fructus beneficiales ei assignando. Abbas investitur per introductionem in templum, collocationem in sede, vel promissionem obedientiæ, Canonicus per assignationem stalli in Choro, & Capitulo. *Pyrhing. l. 3. t. 7. n. 1.* debet tamen in beneficiis non tantùm electivis, sed etiam collativis, & patronatis per edictum affixum fieri citatio eorum, quorum interest; aliàs electio, collatio, aut institutio erit irrita. *Garc. Pyr. n. 3. Schmalzg. n. 34. & seq.* ubi cum aliis docet in collatione libera hujusmodi edictum non esse necessarium: sed spectanda est Ecclesiarum consuetudo. *Garc. Barb. Leuren. p. 9. fori benef. quest. 192. n. 3.*

4. Hæc

4. Hæc introductio spectat ad Archidiaconum; 12. nisi Episcopus vel alius eam sibi præscripserit. *c. ad hæc 7. de offic. Archid. excipe Canonicatus*, in quibus corporalis institutio de jure competit Decano *c. post 7. de conc. præb.* ipsa verò institutio, aut collatio, quâ ipse titulus confertur, regulariter pertinet ad Episcopum loci ubi beneficium firum est; ex privilegio tamen, & consuetudine utraque potestas ad Prælatos inferiores spectare potest per *c. 6. de instit. si desuper* lis est inter Episcopum, & Prælatum inferiorem, probatio incumbet inferiori; quia Episcopus habet intentionem fundatam in jure, ex quo institutio, & collatio ad eum spectare præsumitur, nisi contrarium probetur. *Garc. p. 5. de benef. c. 1. num. 235. Eng. num. 3.*

5. Etiam si constet jus instituendi in aliquo beneficio alicui Prælato inferiori competere, nihilominus Clericus ab alio institutus tenetur se Episcopo præsentare, & illius examen subire, & si beneficium sit curatum, ad curam approbari, seu authorisari, quæ approbatio propterea vocatur institutio authorisabilis, alioquin institutio prima irrita erit, & inanis. *Trid. sess. 25. c. 5. de refer. sess. 23. c. 15.* ubi addit: *contrariis privilegiis, & consuetudine etiam immemoriali non obstantibus.* Concordat Bulla Greg. XV. *inscrutabili*, & Bulla Urbani VIII. *Cum sicut*; interim hanc institutionem authorisabilem, seu approbationem instar aliorum jurium Episcopaliū à Prælati inferioribus præscribi posse, probat *Panor. inc 12. de præscrip. n. 17. Barb. de off. & potes. Ep. p. 3. alleg. 72. n. 185. alleg. 127. n. 14.* & de Prælati exempriis concedit *Reiffenst. tit. 7. num. 42.* et si neget de

C non

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

non exemptis *num.* 38. neque enim lex, quæ tollit consuetudinem contrariam generalem, tollit particularem præscriptionem, *arg. c. 1. de const. in 6. Rob. König. num. 19. Engel. num. 8.* deinde dum *Trid.* dicit: *nullâ obstante consuetudine*, intelligitur de consuetudine tunc vigente, non autem de consuetudine, licentia transeundi inducenda, *Engel. l. 1. tit. 4. num. 23.* & præcipuè *num. 13.* accedit, quòd inferiores Prælati possint acquirere jus quasi Episcopale, ut fatentur omnes, ergo & institutionem authorisabilem; hæc sententia est probabilis, etsi opposita sit communior, quam tenent *Lotterius, Murga, Pyrh. Leur. q. 720. Schmalzg. n. 43.*

QUÆR. IV. Quid circa Collationem?

14. R. Collatio multa habet communia cum institutione, multa autem specialia, ut patebit ex seqq. nam *imò*, Collatio & institutio fieri debet Clerico digno, hoc est ætatem habenti, immuni à censuris, irregularitate, interdicto personali, suspensione, & excommunicatione, idque tenet, etsi excommunicatio non sit notoria, aut denunciata. *C. is qui 58. §. is verò de sententia exc. in 6.*

2. Collatio sicut & institutio regulariter competit Episcopo loci, ita ut omnia beneficia suæ Diocesis conferre possit, nisi ea dignoscantur S. Pontifici esse reservata, aut ad aliorum collationem spectare; nam & aliis inferioribus Prælatibus vel Abbatibus jus conferendi beneficia, ex speciali fundatione, privilegio, aut præscriptione competere posse, experientiâ manifestum est. Requiritur autem, ut collator non sit excommunicatus non toleratus, quia tunc invalidè confert. *C. un. ne sede vacante, excommunicatus toleratus etiam*

etiam notorius' validè confert. *Covar. Sayr. Leur.*
q. 728. n. 22. contra Garc.

310. Capitula & Vicarii Generales, etsi sede 15.
 vacante possint instituere à patronis præsentatos,
 nulla tamen beneficia ad Episcopum spectantia
 conferre valent; *Ratio est*, quòd conferre sit spe-
 cies donationis, quam rei alienæ administrator
 regulariter facere non potest. *c. fin. de offic. Vicar.*
in 6. instituere verò præsentatum est actus justitiæ,
 eò quòd præsentato ex præsentatione jus ad bene-
 ficium acquiratur. *c. 1. de inst. in 6.*

4. Collatio Canoniatuum Ecclesiæ Cathedra- 16.
 lis de jure communi non spectat ad solum Episco-
 pum, neque ad solum Capitulum, sed ad utrum-
 que simul, ita ut una vox sit penès Episcopum,
 altera penès Capitulum seu majorem partem Capi-
 tularium; quòd si Episcopus velit huic, Capi-
 tulum verò alteri conferre, neutra collatio valebit;
 nec refert, quòd minor pars Canoniorum fortè
 sentiat cum Episcopo, nam vota pauciorum hïc
 non attenduntur, cùm penès Capitulum tantùm
 unica vox sit. *Ratio congruentiæ est*, quòd non
 solius Episcopi, sed omnium Canoniorum in-
 ter sit, quales collegas acquirant; ideo hïc valet
 regula: *quod omnes tangit, ab omnibus debet ap-
 probari. novit. 4. & seqq. de his que fiunt à Præl. c.*
cum Ecclesia 31. de elect. ubi reprobatu'r petiti'o
 Episcopi electionem Canoniorum sibi soli vendi-
 cantis; ergo rectè infertur eam ad Episcopum si-
 mul & Capitulum pertinere. *Dixi* de jure com-
 muni; nam consuetudine introduci potest, ut
 Canoniatu's vacantes in mensibus Ordinarii vel
 per solum Episcopum, vel per solum Capitulum,
 aut etiam per Episcopum cum consensu, & con-
 silio Capituli conferantur. *d. c. 31. magna autem*

est differentia, an collatio pertineat simul a¹ Episcopum & Capitulum, vel an principaliter pertineat ad Episcopum cum consensu tamen & consilio Capituli, nam in primo casu Episcopo à collatione suspenso, vel mortuo, poterit conferre solum Capitulum¹, vel suspenso Capitulo Episcopus. *c. un. ne sede vacante in 6.* quia utriusque æqualis est consideratio; altero autem casu Episcopo mortuo vel suspenso, Capitulum se intromittere non poterit, quia principalis collatio est penès Episcopum. *Konig. Engel l. 3. t. 5. à num. 66. Schmalzg. ibidem Reiffenst. à num. 186.*

17. 5. In Collegiatis Ecclesiis collatio regulariter fit per præsentationem Prælati & Capituli, ac institutionem Episcopi. *Barb. in tract. de Canonicis. c. 14. Gonzales Reif. nu. 199.* attendenda tamen & hęc locorum consuetudo, ex qua nonnunquam soli Episcopo, Præposito, aut Decano cum consensu Capituli institutio Canonica competit.

18. 6. Parochiæ non arbitrio Episcopi, sed per concursum conferri debent illi, qui post examen dignior inventus fuerit. *Trid. Sess. 24. c. 18. de refer.* idque tenet etiam de Parochiis S. Pontifici reservatis in tantum, ut Episcopus Papæ illum pro collatione denunciare debeat, qui in concursu extiterit melior; excipiuntur tamen Parochiæ, quæ sunt de jure Patronatûs Laicorum, in quas Episcopus illum instituere debet, quem Patronus præsentat, dummodo habilis fuerit; item excipiuntur Parochiæ Monasteriis, vel aliis Ecclesiis incorporatæ, quia in his non propriè Parochus, sed Vicarius ponitur. *Pius V. constit. 47. ad exequendum Barb. Reiffenst. à nu. 142.* notandum hęc quòd

quòd licèt Episcopi ex rationabili & justa causa ante collationem possint ex beneficio certam pensionem reservare, applicandam scholæ pauperum, aut simili Ecclesiæ utilitati, vel necessitati, vel denique uni ex litigantibus, qui jus suum, amore concordia, & pacis, colligatori suo cedit cum reservatione ejusmodi pensionis &c. tamen non possunt Ecclesias Parochiales, quæ summam 100. ducatorum non excedunt, pensionibus gravare, prohibente id *Trid. Sess. 24. c. 13. de reform.*

7. Pro faciendâ institutione nullum tempus à jure est præfinitum, ideòque non sit devolutio, etsi habens potestatem instituendi negligens sit. *Garc. p. 10. c. 4. n. 1. Barb. alleg. 72. nu. 191. Pyrh. n. 19.* collatio tamen fieri debet intra 6. menses à tempore habitæ notitiæ; collator sinens hunc terminum elabi, vel conferens indigno, pro ea vice jure suo privatur, idque in Ecclesiis Cathedralibus ab Episcopo ad Capitulum, illo etiam negligente ad Archi-Episcopum, demum ad S. Pontificem devolvetur; in Ecclesiis verò Regularium post elapsos sex menses jus conferendi non ad Capitulum, sed ad Episcopum spectabit, qui in non exemptis propriâ & ordinariâ potestate, in exemptis Apostolicâ authoritate beneficia neglecta confert, ita tamen, ut regularia regularibus, sæcularibus sæcularia concedat. *Clem. un. de sup. negl. Præl.* illud autem est speciale, quòd quòdam beneficia regularia, quæ sunt de mensa Prælatorum, hoc est, de quibus Prælati, & Religiosi habent sustentationem, seu quæ pleno jure, id est, quòdam temporalia, & spiritualia sunt Monasterio incorporata, non observetur terminus sex mensium; quia nunquam propriè va-

cant; cùm Prælatus sit rector principalis, & exercens curam animarum tantùm Vicarius ad nutum amovibilis, *dicta Clem.* notandum etiam, quòd collatio sicut & præsentatio post tempus juris facta, de rigore quidem irritari possit, si tamen per celerem provisionem mora purgata fuerit, debet talis provisio de æquitate tolerari, quia Consilium Lateranense, quod hunc terminum statuit, non tam poenam negligentium, quàm maturam Ecclesiarum provisionem intendit. *c. litteras de splend. negl. Præl.*

20. 8. Collatio semel facta subjecto idoneo revocari non potest, etiamsi nondum sit acceptata. *c. si tibi de præb. in 6.* quod si quis collationi renunciavit, sed ex post eandem iterum acceptet, antequam collator mutet voluntatem, valet acceptatio. *Laym. & alii.*

21. 9. Si quis est incapax beneficii, vel certò novit illud sibi invalidè esse collatum, nec beneficium, nec fructus malâ fide perceptos retinere potest, sed debet resignare, vel petere à S. Pontifice revalidationem tituli, dispensationem impedimenti, aut absolutionem à censuris: scienter permanens in beneficio nulliter obtento, contrahit vitium intrusionis, idque debet in supplica pro revalidatione tituli coram Pontifice specialiter exprimere, alioquin revalidatio censebitur subreptitia. *Abbas in c. 28. de præb. & dig.* putat tamen *Sanch. Laym. de benef. c. 5. n. 2.* si nullitas collationis, & ipsa intrusio sit occulta, revalidationem tituli in foro conscientie hoc ipso contingere, quòd quis ab aliquo habente potestatem à censurâ absolvendi, vel in impedimento ætatis, ordinis &c. dispensationem

pensandi absolutus, vel dispensatus sit; *Dixi*, si certum sit, collationem ipso jure esse nullam; nam in dubio melior erit conditio possidentis; deinde qui jam validè obtinuit beneficium, si ex post propter excommunicationem, irregularitatem, simoniam, vel aliter ipso jure, vel facto, aut etiam ante sententiam declaratoriam dicitur privatus beneficio, non tenetur dimittere beneficium ante sententiam judicis declaratoriam; quia ejusmodi pœna requirit factum hominis, scilicet dimissionem ex parte beneficia- ti, & cognitionem causæ ex parte judicis; aliud est de pœnis, quæ consistunt in negativo, & exteriori executionem non requirunt, ut excommunicatio, irregularitas. *Engel. l. 1. t. 6. nu. 45. Leurr. p. 2. q. 288.* imò si beneficium esset invalidè obtentum ob defectum v. g. ætatis, ordinis, potestatis in conferente, aut aliter, dummodo defectus sit occultus, & omnia jure naturæ requisita adsint, plerumque in foro conscientie retineri posse, usque dum per Superiorem tollatur, cum aliis docet *Dian. p. 11. tr. 5. R. 56. Leuren. q. 761. excipe simoniacum & intrusum V. Cas. 85. num. 7. 9. 10.*

QUÆR. V. Quid circa pluralitatem beneficiorum?

¶ Tenenda sunt seqq. 1. Beneficia residentiam personalem per majorem anni partem requirentia, qualia de jure sunt Canonicatus & beneficia curata, duo vel plura ab uno sine speciali Papæ dispensatione obtineri non possunt, & per affecutionem secundi vacatio primi ipso jure inducitur. *Trid. Sess. 24. c. 17. de refor.*

2. Plura beneficia simplicia, aut etiam unum residentiam requirens, & alterum simplex absque speciali dispensatione eidem conferri possunt; modò unum ad honestam sustentationem non sufficiat, & non sint uniformia, id est, in una eademque Ecclesia, v. g. duæ Capellanix in uno eodemque Altari sub invocatione eiusdem sancti, *Trid. l. cit. Passerin. in c. 19. de prob. in 6. Wiest. t. 5. num. 197.* plura verò beneficia, quàm duo, quamvis ad sustentationem insufficientia, per Episcopum absque dispensatione Papæ concedi non posse definivit S. Congreg. apud *Garc. p. 1. 1. de benef. c. 5. num. 316. Barb. p. 3. alleg. 62. n. 6.* potest tamen in eadem Ecclesia quis esse Canonicus & simul Decanus, Præpositus, Scholasticus, Custos, *Garc. l. c.* & ita habet consuetudo
23. 31. Qui plura beneficia etiam simplicia habet, quàm conditio sui statûs pro honesta sustentatione requirit, in conscientia securus non est; quia id repugnat intentioni fundatorum, & imminuitur cultus divinus, potestque iis per Episcopum privari. *Trid. loc. cit.* à potiori inexcusabiles sunt, qui sinè sufficientibus causis (quales sunt sola necessitas, & evidens Ecclesiarum utilitas, aut honesta clerici sustentatio) dispensationem super pluralitatem beneficiorum incompatibilium à Summo Pontifice extorquent. De his *Trid. c. seipos non Deum decipiunt, qui ea, qua bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt.* Et *S. Bernardi cit. à D. Thom. quodl. 9. a. 15. qui non unus sed plures est in beneficiis, non unus sed plures futurus est in suppliciis, & qui poterat ire ad infernum sine dispensatione, iam ibit cum dispensatione.* Neque excusat

fat consuetudo contraria; quia hæc, utpote repugnans juri naturali, est irrationabilis, & corruptela. *c. 1. de consuet. in 6. Paris. Barb. n. 9. Garc. n. 270. Pyr. tit. 5. n. 127.* potest tamen consuetudo excusare à pœnis Ecclesiæ, *DD. cit.* illud autem beneficium censetur ad sustentationem sufficiens, ex quo quis servatâ hospitalitate, & statûs decentiâ honestè vivere potest. *Vallens. Zyp. apud Reiffenst. n. 222.* ad Clerici sustentationem etiam computantur parentes, consanguinei pauperes &c. qui honestissimè ex beneficio aluntur.

QUÆR. VI. Quid circa possessionem conferendi, instituendi, eligendi, præsentandi &c.

R. Capax juris conferendi, instituendi, præsentandi, eligendi, si possideat bonâ fide, & habeat tantùm unum actum pro se, confert, instituit, præsentat, eligit validè; quod tenet, quamvis ipse nullum actum exercuerit, modò ejus prædecessor fuerit in possessione, aut ipse possideat rem, cui jus conferendi, instituendi &c. est annexum, etiam si ex post constet proprietatem ad alterum pertinere. *Gonzal. Garc. Leur. l. c. Zoës. n. 14.* nec refert, an collatio, præsentatio &c. à tali possessore facta sit ante vel post contestationem litis motæ super proprietate juris; quia lite pendente in possessoris præjudicium nihil est innovandum. *Leuren. n. 4. Garc. Schmalzg. n. 60.* si verò agatur super possessione, eventus litis expectandus erit; aut si ante factam collationem, præsentationem &c. constet jus ad alium pertinere, clarum est, possidentem nec validè nec licitè conferre, instituere, præsentare & eligere posse; quia est in mala fide, & non tam possessor, quàm usurpator rei alienæ. *Garc. c. 5. n. 9. 33. § 37. Dixi, capax juris conferendi, quia Laicus sicut jus con-*

25. ferendi possidere non potest, sic nec præscribere nequidem tempore immemoriali, sed debet docere de titulo; & quamvis ex possessione immemoriali juris decimandi, etiam in Laico præsumatur titulus, id tamen non tenet in jure conferendi beneficia. *Garo. Barb. Leur. Zòes. de præb. num. 8. Engel. ibid num. 3.* quia jus decimandi ab Ecclesiâ etiam Laicis ex privilegio concedi solet, non verò jus conferendi utpote magis spirituale; hinc ex possessione immemoriali quòad jus decimandi faciliùs præsumitur titulus, quàm quòad jus conferendi, & Ecclesia dum videtur aliquibus Principibus concessisse jus donandi beneficia, id potiùs de jure Patronatûs, quàm de jure conferendi intelligendum est. Demum si Prælati, vel Episcopus, qui communiter habetur pro legitimo, conferat beneficium suo officio annexum, validè confert ob titulum coloratum, & errorem communem. *L. Barbavivius ff. de offi. Præl. c. infamis 3. p. 7.*

& DD. communiter; quia Ecclesia
tunc supplet defectum
propter bonum
commune.



C A S U S LXXIX.

In Tit. 6. lib. 1. Decret.

De electione & iis, qui eligere possint.

DAphnes super electione varia format dubia 3
 1. An extranei jus eligendi acquirere possint
 prescriptione cum uno actu absque titulo, 2. An
 fundatione, 3. An ex consensu Capituli. 4. An
 etiam Laici, 5. An impuberes aut nondum Subdia-
 cono, 6. An excommunicati, suspensi, interdicti,
 7. An religiosi proprietarii, 8. An negligentes tem-
 pus praefixum, & quod illud. 9. An eligentes per
 abusum secularis potestatis. 10. Quid de eligenti-
 bus indignum. 11. Quinam ad electionem vocandi.
 Quid si non compareant, vel protestentur contra tem-
 pus praefixum, 12. An vocandi inhabiles. 13. An
 habiles obligentur comparere. 14. Quid si absen-
 tes commode expectari non possint. 15. An absen-
 tes possint constituere procuratorem, an in scriptis
 vota mittere &c. Pro resol.

QUÆR. I. Quid sit electio?

R. Est personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem 1.
 per vota Capitularium Canonica vocatio. Vota
 autem alia dicuntur activa, alia passiva; activa
 sunt illorum, qui eligere possunt; passiva illo-
 rum, qui possunt eligi, seu capaces sunt dignita-
 tis electivæ.

QUÆR. II. Quinam eligere possint?

R. Re-

2. Regulariter soli & omnes Capitulares jure non prohibiti; nonnunquam tamen jus eligendi etiam Clericis extraneis, qui non sunt de gremio Capituli, competit.

Ut 1. *Ex privilegio S. Pontificis c. 8. de consuet.*

2. *Consuetudine aut prescriptione quadragenaria, c. 3. de causa possess. & propriet. & quamvis ad quasi possessionem juris eligendi sufficiat unus actus, Barb. in collect. ad c. 3. de causa possess. & prop num. 10. ad complendam tamen prescriptionem quadragenariam, requiri videntur plures actus, & ad minus duo; nam quomodo erit possessio satis continuata, ubi unus tantum intercessit actus? cum tamen actus hi ex natura sua sint iterabiles, nec argui possit patientia adversarii, quando occasio impediendi non fuit, dum scilicet electus 40. annis vixit, & interea nullus alius electionis casus intervenit; de cætero qui est in possessione juris eligendi etiam per unicum tantum actum, ad electionem admitti debet, quia lite pendente nemo fructu suæ possessionis privari debet, c. 1. & 2. ut lite pendente Engel. l. 1. t. 6. à nu. 2. Wiestner ibidem n. 51. ubi dicunt ad prescriptionem quadragenariam juris eligendi non requiri titulum, tum quòd cit. c. cum causa nullius tituli mentionem faciat, cum tamen ibidem non tantum super possessorio, sed & petitorio, in quo regulariter titulus monstrari debet, actum fuerit, tum quòd in juribus incorporalibus scientia & patientia adversarii plerumque loco tituli habeatur. L. si quis diuturno. 10. ff. si servitus.*

3. *Ex fundatione, scilicet si Patronus Ecclesiasticus in Ecclesia à se fundata sibi, aut alteri jus eligendi reservet, prout reservare potest. Arg. c. 23.*

de jurep. Rota decis. 194. n. 1. p. 2. Fagn. Reiff. l. 3.
t. 5. à n. 105.

4. Ex pacto vel compromisso eligentium, ut si eligentes omnes in Clericum extraneum v.g. Episcopum compromittant, ut vel solus eligat, vel pro una vice ad coeligendum admittatur; dixi primò, *si omnes*; nam si vel unus se opponat, admissio extranei erit nulla, *Pyrh. l. 1. t. 6 n. 53. Schmalzgr. ibid. num. 7.* Dixi 2. *pro unâ vice*; nam Capitulares jus eligendi sine solennitatibus Canonicis à se in perpetuum abdicare non possunt; quia hoc jus non tam favore eligentium, quàm Ecclesiæ, cui meliùs per electionem, quàm per aliam provisionem consultum est, conceditur: *Engel. sup.* qui extra gremium ad dignitatem aliquam evehitur, jus eligendi sibi nequidem cum consensu Capituli reservare potest, ut clarè habetur *c. 47. de elect.* Nec obstat, quòd Capitulares Clericum extraneum ad eligendum admittere possint, nam id pro unâ vice etiam concedi posset Capitulari ad dignitatem alibi electo, nam *cir. c. 47.* tantùm prohibet jus eligendi concedi ad dies vitæ, ne sit quasi duplex Canonicus, vel Monachus participans jura utriusque Collegii. *Pyrh. n. 14. Jo. Andr. Rob. König. ib. n. 4.* Laici jus eligendi nec pacto, nec fundatione, nec quacunque donatione consequi possunt, *c. 51. de elect.* imò nec consuetudine immemoriali; cum Laici spiritualia possidere nequeant, sine possessione autem non procedat præscriptio. *c. 7. de præscrip.* quòd verò sæculares privilegio Apostolico ad ritè eligendum quemadmodum ad jus Patronatûs, & similia jura spiritualia qualificari possint, docet *Engel n. 4. Schmalzgr. n. 16. à n. 4. h. t.* & olim factum fuisse perhibet *c. 13. 18. 22. & 23. dist. 63.*

QUÆR.

QUÆR. III. Quinam à jure prohibeantur eligere?

5. 3. Prohibentur plures & quidem ex triplici capite, ob inhabilitatem, ob censuram, ob culpam.

Ob inhabilitatem ab electione arcentur 1. impuberes per *c. 34. de elect.* Nec obstat, quòd fortè malitia suppleat ætatem; nam Canon non distinguit. *Zoës. n. 3. h. t.* 2. Excluduntur Subdiaconatus Ordine non initiati; *Trid. Sess. 22. c. 4. de reform.* dispensatus in ætate ad Ordinem suscipiendum non censetur dispensatus ad electionem, ut habet communis; quia dispensatio est strictæ interpretationis, etsi oppositum non improbabiler teneat *Schmalzg. n. 11.* quia inhabilitas eligendi videtur esse ex defectu Ordinis, non ætatis; ex longa tamen consuetudine apud Regulares admitti posse professos nondum in majoribus constitutos, docet *Engel. n. 6.*

6. *Ob censuram* eligere non possunt 1. Excommunicati excommunicatione majore. *c. 24. & 29. h. t.* minor excommunicatio, cum non exercitio officii, sed tantum Sacramentorum susceptione privet, non obstat electioni activæ. *c. fin. de. Clerico excom.* 2. Suspensi ab officio, & multò magis suspensi ab officio & beneficio. *c. 16. in fine h. t.* non autem suspensi à beneficio tantum; nam suspensio à beneficio tantum, privat fructibus percipiendis, eligere verò non est, fructus beneficii, sed potius actus officii, vel quasi jurisdictionis, *Barb. l. 1. c. 19. num. 59.* 3. Interdicti interdicto personali, quod importat suspensionem, *d. c. 16.* interdictum locale non impedit electionem, eò quòd solum prohibeat administrationem quorundam Sacramentorum, &

& Sepulturæ Ecclesiasticæ ; si tamen quis in loco interdicto celebret , fit irregularis & voce activâ & passivâ privatur *per e. is qui 18. §. is verò de sent. excom. in 6. wiestner.* post extrav. Martini V *ad evitanda*, excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares ad eligendum admitti possunt, nisi sint denunciati, aut per exceptionem repellantur, *Pirhing. num. 31. c.* econtrâ si vitandus seu denunciatus scienter admittatur, tota electio est ipso jure nulla secundum *Suar. Nav. Barb. &c.* secundum *Laym.* verò *quest. can. 26.* tantum irritanda ; quia actu irritam esse nullo jure expressum est : si talis admittatur ignoranter, vel ex metu gravi, solum votum excommunicati habetur pro non dato, electione in suo vigore permanente.

Ob culpam jus eligendi admittunt 1. Religiosi proprietarii ; hi enim biennio voce activâ, & passiva privantur. *Trid. Sess. 25. de regul. c. 2.* 7.

2. Qui scienter negligunt tempus à jure præfixum ; eligentes autem ad Ecclesiam Cathedrali seu Episcopalem, item ad Ecclesiam Regularem habent à die notitiæ vacantis Ecclesiæ tres menses ; eligentes ad aliam Prælaturam quamcunque non Episcopalem neque Regularem in Ecclesiâ sive Cathedrali sive Collegiatâ habent sex menses, quo tempore si non eligant, jus eligendi pro eâ vice ipso jure devolvitur ad Superiorem, cujus aliàs erat Electionem confirmare, ita tamen, ut ex eadem Ecclesiâ teneatur aliquem Prælatum eligere, si idoneum habeat, cæteroquin ex aliâ, *c. 41. b. r.* quòd si electio intra trimestre, vel semestre facta effectum non habuit, eò quòd electus eam vel acceptare noluerit, vel mortuus sit, conceditur

novum integrum trimestre pro celebrandâ electione; dummodò non fraudulenter actum fuerit, ut si studiosè ultimo die eligant illum, quem sciunt non acceptaturum, ut sic novum currat tempus electionis. *c. 26. h. t. in 6.*

9. 3. Ab officiis & beneficiis per sententiam iudicis ad triennium sunt suspendendi, & ipso facto jure eligendi pro illâ vice privantur, qui scienter & spontè eligunt per abusum sæcularis potestatis, id est, petunt, vel admittunt Laicos v. g. Principem, vel ejus Commissarios, qui se cum autoritate ingerunt electioni, & eligentium libertatem impediunt. *c. 43. h. t.* ubi etiam consentiens electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis, inhabilitatur ipso jure ad quamcunque dignitatem Ecclesiasticam, donec cum eo dispensetur, & electio ejusmodi irrita declaratur; quod adedò verum est, ut nec consuetudo in contrarium valeat. *c. 56. h. t.* si tamen eligentes per errorem, vel gravem metum sæculares admiserint, pœnam non incurrunt, & valet electio quodad vota Capitularium, non verò Laicorum, modò eorum præsentia libertatem electionis non impediverit; hîc enim valet *Regula 37. in 6.* quòd utile per inutile non vitietur; attamen consultum est, ut Capitulares tali casu protestentur Laicorum vota non valitura, ne, dum gravem metum aut violentiam probare non possunt, censeantur liberè consensisse, idedòque dictam pœnam incurrisse; potest verò permitti, ut Laicus quâ testis, Notarius, Juris-Consultus, & Protector, absque tamen voto, electioni assistat; imò *Laym. quæst. Can. 22. Engel. num. 3. Konig. n. 20. Schmaltz. g. nu. 5.* non improbant consuetudinem, quæ in aliquibus

bus locis invaluit, ut nempe electio novi Prælati tam celebranda, quàm celebrata Principi, vel patrono Laico intimari, ejusque desuper consensus peti debeat, *c. 51. in fine h. t.* modò per eam nihil derogetur Ecclesiasticæ libertati, & Princeps, vel Patronus Laicus consensum super electione celebrandâ vel celebratâ à se postulatum non deneget, nisi Canonicum adsit impedimentum.

4. Qui scienter eligunt Episcopum indignum, 10. maximè ob defectum natalium, scientiæ, & morum, ipso jure ad triennium sunt suspensi ab omnibus beneficiis in illa Ecclesia obtentis, & pro illa vice privantur jure eligendi, modò electio fuerit completa & publicata *c. 7. h. t. in 6.* & tota potestas eligendi residebit in reliquis, qui si etiam indignum eligant, jus eligendi pro eâ vice devolvetur ad Superiorem. *c. 23. h. t.* si verò contingat, quòd dignus à minore parte tali casu electus electionem non acceptet, moriatur, vel occulto impedimento laboret, jam alii Capitulares, qui priùs indignum elegerant, ampliùs excludi non poterunt, *Laym. Pyr. num. 52.* Ratio est, quia excluduntur tantùm à prima electione, quæ jam à minore parte peracta fuit: imò docet cit. *Pyr. n. 51.* quòd privati voce propter electionem indigni, si ab aliis liberè admittantur, etiam primâ vice validè votare queant; si enim Capitulares possint extraneos admittere, quare non Concapitulares voce privatos? *c. 40. h. t.* Nec obstat, quòd per triennium sint suspensi à beneficiis; nam electio non est actus beneficii.

D

stò

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

510. Etiam eligentes ad Dignitates & Prælaturas Episcopatu inferiores scienter indignum, ex communiori sententiâ incurrunt supradictas pœnas, exceptâ solâ suspensione, quam incurrunt soli eligentes Episcopum indignum. *c. 7. 18. 37. h. t. in 6.* docet quidem *Passerinus* apud *Engel l. c.* Regulares, & alios ad Dignitatem Episcopatu inferiorem eligentes nullam ex dictis pœnis incurrere, sed puniendos esse solâ pœnâ arbitrariâ; at jura citata sunt nimis clara.

QUÆR. IV. Quinam ad electionem vocari debeant;

- II. R. Vocandi sunt omnes Capitulares, qui debent, volunt, & commodè possunt interesse, *c. 42. h. t.* & quidem si vel unus è vocandis negligatur, seu non vocetur, eo, vel ejus successore prosequente contemptum, electio licet à majore parte Capituli facta, aut etiam confirmata sit, est irritanda; cum plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in præsentem, *c. 36. h. t.* nisi contemptus ob bonum pacis malit suo juri resignare & electioni consentire *c. 48. h. t.* nec citatio facta præsumitur, sed probari debet ab electoribus; quòd si ob unius vel alterius neglectum electio cassetur, non devolvitur ad Superiorem, sed redit ad Capitulum, *Passer. Leuv. p. 2. qu. 314.* Si absentes legitimè citati tempore præfixo comparere nolint, soli præsentem electionem efficiunt; nec obstat, quòd fortè major pars sit absens; cum enim sint legitimè citati, & mora in electionibus sit periculosa, sibi impudent, quòd ad terminum præfixum per se, vel procuratorem non comparuerint. *Pyrb. num. 126.* quòd maximè procedit, si major pars per

per minorem vocata dicat, se nolle eligere, vel electioni interesse, per c. 19. V. item cum post. h. l. aut si in litteris citatoriis expressum fuerit, quod non obstante absentum contumaciâ ad negotium electionis procedendum sit; hæc enim comminatio designat citationem peremptoriam l. 71. ff. de jud. quod si tamen vel unus protestetur, & appellet à tempore præfixo, si non instet terminus electionis, aut periculum aliquod, audiendus erit, aliàs censebitur contemptus *Pasferin. Leur. qu. 311*

Dixi 1. Ad electionem vocandos esse, qui electioni interesse debent, hoc est, qui defacto jus eligendi habent, vel sunt in quasi possessione juris eligendi. c. 53. h. t. idque ante & post motam litem super jure eligendi *Schmalzg. nu. 10. V. Cas. 77. nu. 22. & Cas. 78. n. 24.* econ. trà inhabiles seu privati jure eligendi, si negligantur, non poterunt agere de contemptu. c. 18. h. t. quæ doctrina obtinet, etiam si prius discussum non sit, an non citati inhabiles, aut jure privati sint aut non sint, modò postea convinci possint. *Gonzal. in d. c. 18. num. 11. Leur. 9. 309.*

Dixi 2dò, & volunt, quia cùm cuilibet juri suo renunciare concessum sit, nemo invitus electioni interesse cogitur, aut cogi potest, nisi vel statuto, aut consuetudine particulari aliud introductum fuerit, aut certè ob specialem aliquam causam viduatæ Ecclesiæ intersit, ut omnes ad electionem accedant. *Pyrh. n. 126.*

Dixi 3. Et possunt commodè interesse; unde qui commodè aut sine periculo vocari vel expectari non possunt, eò quod timeantur factiones, scismata, intrusiones, vel abusus Lai-

cæ potestatis, sine iis ad electionem procedendum erit *per c. quia propter c. sicut 28. h. t. Pyrrh. nu. 127.* de cætero sicut consuetudine induci potest, ut absentes omninò non vocentur, teste *Panor. in c. 35. h. t.* ita defactò in pluribus locis obtinuit, ut omnes sive intrà sive extrà provinciam existentes, licet remotissimi, debeant citari, dummodo intra tempus à jure statutum adesse possint: proinde hâc in re non tam dispositio juris communis, quàm cujuslibet Ecclesiæ usus attendendus erit &c.

13. *Notandum* autem, quòd justè impediri procuratorem constituere possint, qui regulariter debet esse de Capitulo, & petentibus cæteris Capitularibus in animam principalis jurare, quòd is personaliter accedere non potuerit. *c. 42. h. t.* procuratorem extraneum Capitulares acceptare non tenentur, etsi nullus de Capitulo absentis procurator esse velit. *c. 46. h. t. in 6.* ubi etiam disertè statuitur, procuratorem non posse alium suo, alium principalis nomine eligere, sed pro se, & principali eâdem conscientiam digniorem eligere debere, nisi speciale mandatum habeat de certâ personâ eligendâ; tunc enim illam principalis nomine eligere debebit; absentes autem per litteras votum dare non possunt; tales enim litteræ deberent aperiri, & manus scribentis à Capitulo recognosci, quod est contra formam scrutini, in quo vota debent dari sigillatim, & secretò, & ejusmodi votum in scriptis datum præveniret ipsum scrutinium. *d. t. 46.* in electionibus tamen Regularium, in quibus forma scrutini tam exactè non servatur, sed scedulæ obsignatæ in unam urnam conjiciuntur, votum in scriptis ab ægrotò, vel absente mitti potest

Laym.

*Laym. q. can. 44. & quia Trid. sess. 25. de Regul. c. 6. statuit sub pœnâ nullitatis, ut electio regularium fiat per vota secreta; hinc regularis absens non poterit constituere procuratorem cum mandato speciali de eligendâ certâ personâ, benè tamen cum mandato generali de eligendâ personâ, quæ procuratori dignior visa fuerit. Procurator cum mandato generali etiam mandantem eligere potest, & quamvis procurator specialis subdelegare possit, non tamen generalis, quia industria ipsius personæ electa est, eò quòd suo iudicio teneatur eligere quemcunque digniorem. *Pyrh. n. 150.* ubi dicit eundem etiam posse compromittere, & sub aliis formis, quàm scrutinii consentire; econtrà procurator cum speciali mandato non potest sub aliâ formâ, quàm scrutinii in electionem consentire, cum hæc sola ei intelligatur deman-*

data c. penult. V. de certa

h. t.



CASUS LXXX.

In Tit. 8. & 9. lib. 3. & tit. 6. lib. 1. Decret.

De Ecclesia vacante, & persona ad
eam eligenda.

EAtius Decanus dubitat. 1. An possit conferre beneficia solo jure vel facto vacantia. 2. Vel promittere possit beneficium primò vacaturum. 3. An Capitulum sede vacante possit Confessarios approbare, electiones confirmare, resignationes, permutationes recipere, beneficia Episcopi conferre, dimissoriales concedere, Episcopo extraneo in suâ Diœcesi vacante confirmandi, ordinandi licentiam dare. 4. Statuta facere, appellationes recipere, excommunicare, dispensare. 5. Vicarium Generalem constituere, Moniales exemptas visitare. 6. Reditus Episcopales alienare, ex iis debita solvere. 7. An hac suo modo teneant de Capitulo Regularium. 8. An Capitulares eligendo certas condiciones imponere possint. 9. An eligi possint illegitimi, vel rescripto Principis legitimati. 10. An descendentes ex genere maculato. 11. An nondum Sacerdotes, quid si post electionem occurrat impedimentum Sacerdotii. 12. An Novitius. 13. An is, qui non est de gremio. 14. An rudis & neophytus. 15. An quis queat eligere seipsum, an ambitiosus, vel plura beneficia habens. 16. Quid de electo per abusum potestatis secularis, vel intruso. 17. An infamis. 18. An Simoniacus.

19.

19. An excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares. 20. An minus dignus præ digniore. 21. An sponsus alterius Ecclesie. 22. Quid de Abbatissis.

Calu præ dictum est, quòd Electio sit vocatio personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem; igitur præsentì examinandum est. 1. Quid sit, Ecclesiam, aut Beneficium vacare. 2. An beneficia nondum vacantia conferri possint. 3. Quid Ecclesiâ vacante possit Capitulum. 4. Quæ personæ ad Ecclesiam vacantem eligi possint. Igitur

QUÆR. I. Quid sit Ecclesiam, vel beneficium vacare?

1. Ecclesia dicitur vacare, quando est vidua a pastore suo; beneficium vacat, quando caret de servitore, idque fieri potest tripliciter: de facto tantum, de jure tantum, de facto, & de jure simul

1. De facto tantum vacat beneficium, quando quis habet jus & titulum, sed nondum possessionem, vel possessione injustè est spoliatus; hujusmodi beneficium alteri conferri non potest, quia propriè non vacat, & debetur illi, qui jus in eo habet; & qui scienter tale beneficium recipit, dicitur intrusus. Zoes l. 3. t. 8. num. 2. Engel. ibid. num. 2. Gonz. ad reg. 8. Gloss. 15. n. 8.

2. Vacat beneficium de jure tantum, quando aliquis illud possidet, sed injustè, ut contingit, si collator non habuit jus conferendi, vel recipiens fuit inhabilis per defectum aliquem Canonicum v. g. ætatis, aut per pacificam assencionem alterius beneficii incompatibilis, primum beneficium ab ipso obtentum tunc vacat ipso jure, & alteri conferri potest, & debet. C. de multa 28. de præb.

qui tamen beneficium sic vacans à Papâ petit, debet in supplicâ exprimere injustam alterius possessionem, aliâs rescriptum impetratum subreptitium censebitur; nisi rescriptum contineat clausulam: *motu proprio, vel amoto quolibet illicito detentore;* talis enim clausula tollit subreptionem. *Pyr h. l. 3. t. 8. nu. 10. Schmalzg. & Reiffenst. ibid. à. n. 11.*

3. Beneficium vacat *de jure & facto simul*, quando nullus jus vel possessionem habet, sic vacat beneficium per mortem naturalem, per resignationem, privationem, depositionem &c. hæc est propria, ac plena vacatio, & beneficia sic vacantia tempore statuto conferenda sunt, tempus autem statutum pro Episcopatibus, & Ecclesiis regularibus sunt tres menses, pro aliis beneficiis semestrem, ut dixi *Cas. præc. n. 8.*

2. QUÆR. II. An validè concedi, vel promitti possit beneficium nondum vacans, sed vacaturum?

R. Negativè, patet ex toto *tit. 8. l. 3. & Trid. sess. 24. c. 19. de refor.* ratio prohibitionis est, ne detur ansa captandi, vel desiderandi mortem proximi, idque tenet etiam in promissione factâ in scriptis super beneficio vacaturo in genere, vel in specie; & quamvis olim tolerata fuerit promissio beneficii sub formâ: *Si potero, cum facultas se obtulerit*, modò tamen talis promissio non obligat ob Constit. Clem. VIII. relatum in *c. 2. h. t. Trid. l. c.* similiter præcipitur, *ut nemini amplius in Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus &c. dentur gratia expectativa.*

3. QUÆR. III. Quid possit Capitulum sede vacante?

R. *Potest omnia ea, qua sunt jurisdictionis Episcopalis ordinaria, & ex justitiâ, aut necessitate ab ipso-*

ipsomet Episcopo expedienda forens; est Regula generalis, eamque quoad rem tenent *Engel. l. 3. t. 9. & ibid. Konig Reiffenst. &c.* durat autem sedis vacatio, usque dum litteræ constitutivæ, vel confirmativæ novi Prælati Capitulo præsentatæ fuerint. *Barbos. p. 3. de pot. Ep. alleg. 54. n. 160.* itaque.

1. Capitulum per se vel suum Vicarium sede vacante approbat Confessarios, sicut Episcopus habens territorium, *Felin. c. in c. cum olim de maj. & ob.*

2. Confirmat & infirmit electiones, recipit resignationes, permutationes, unit beneficia, non tamen in suum favorem, vel successoris præjudicium. *Eng. n. 12.*

3. Instituit præsentatos, non tamen confert beneficia, quorum libera collatio jure proprio ad Episcopum spectat; quia collatio est gratiæ, institutio justitiæ, cum in præsentato supponat jus ad rem *c. illa ne sede vac. Reiffenst. tit. 9. nu. 30. dixi*; quorum collatio jure proprio spectat ad solum Episcopum; nam si æquè principaliter pertineat ad Capitulum, ea sede vacante à Capitulo fieri potest, ut dixi, *Cas. 78. n. 16.*

4. Clericis beneficiariis impertit facultatem transeundi ad aliam Diœcesin.

5. Olim potuit concedere litteras dimissorias *C. cum nullus 3. de temp. ordin. in 6.* pro nunc solis arctatis, hoc est, iis, qui ob beneficium sibi collatum aut conferendum necesse habent Ordines intrà annum suscipere, dimissorias concedere potest; *Trid. sess. 7. c. 10. de refor.*

6. Potest extraneo Episcopo dare licentiam in Diœcesi exercendi pontificalia, paramenta consecrandi, confirmandi, non tamen intrà annum

ordinandi illos, qui sunt de Diocesi vacante
Trid. l. c.

4. 7. Facit statuta pertinentia ad totam Diocesi-
sin, quæ etiam durant ad tempora novi Episcopi.
*c. 11. & c. 14. & ibi Panorm. n. 24. de
maj. & ob.*

8. Appellationes, de quibus Episcopus jure
ordinario cognosceret, recipit.

9. Potest excommunicare, suspendere & in-
terdicere, sicut & absolvere ab omnibus Censu-
ris & irregularitatibus, nec non & dispensare in
votis, in quibus posset Episcopus, *d. c. un. de
maj. & ob. Garc. de benef. p. 5. c. 7. n. 40.* quod
tamen intellige, si sit aliqua necessitas absolvendi,
dispensandi, &c.

5. 10. Potest, imò debet Ecclesiæ viduatæ intra
octo dies providere de Vicario Generali, seu
Officiali, aut prius existentem, cujus jurisdictio
simul cum Episcopo interit, confirmare, &
quamvis non possit visitare totam Diocesi-
sin, potest tamen per se, vel per suum Vicarium visitare
illas Ecclesias, quibus visitatio est necessaria. *Ko-
nig. num. 9. & glos. in c. 1. de hæreticis.*

11. Ad Capitulum sede vacante etiam perti-
nent ea, quæ competebant Episcopo ex consue-
tudine; quia consuetudo æquè juris communis
& ordinarii est species, quam jus scriptum. *§.
constat. 3. instit. h. t.* Unde si ex consuetudine
Episcopus debeat alicui electioni in certâ Ecclesiâ
interesse, mortuo Episcopo non poterit electio
fieri irrequisito Capitulo; cæterùm quæ Episco-
po conveniunt ex speciali jure, privilegio, aut
commissione, in hæc Capitulum non succedit.
Konig. l. c. Reiffenst. à num. 42. quia privilegium,
& specialis commissio non excedunt personam.

arg.

arg. c. petisti 17. caus. 7. quest. 1. unde Capitulum non potest visitare Monasteria Monialium exempta; cum Episcopus hâc potestate polleat, non quâ Episcopus & Ordinarius, sed quâ delegatus Sedis Apostolicæ. *Trid. sess. 25. c. 5. de Regul.*

12. Quamvis sede vacante Capitulum de re- 6.
ditibus Episcopalibus nullatenus in sui commo-
dum disponere possit, sed debeat ea reservare
futuro Episcopo, ut decidit S. Congregatio de
17. April. 1627. debeatque statim œconomum
statuere, inventarium conficere, & super pro-
ventibus futuro Episcopo reddere rationem ad-
instar curatorum, vel rei alienæ administrato-
rum, *Trid. sess. 24. c. 16. de refor.* nec possit
quidquam alienare, quin alienatio à successore
rescindi, & revocari possit, nihilominus potest
sede vacante alienationes, quæ fiunt ab Eccle-
siis inferioribus, admittere. *Panorm. in c. cum
olim. 14. de maj. & ob. qu. 3.* item non prohi-
betur facere alienationes necessarias distrahendo v.
g. fructus; qui servando perirent, vel sinè mag-
nis expensis servari nequeunt. *Panor. in c. 1. n.
7. b. t.* Item ex fructibus Ecclesiæ solvere mer-
cedes Ministrorum, & Officialium Episcopi, uti
& debita à defuncto Episcopo pro utilitate Ec-
clesiæ contracta, imò si justa necessitas exigat,
potest Capitulum mutuum accipere, & per hoc
Ecclesiam, & futurum Episcopum obligare, sal-
tem tunc, quando periculum est in morâ & Su-
perior requiri non potest *Gl. in c. cupientes 16.
§. ad hæc eod. in 6.*

13. Quæ dicta sunt de Capitulo Ecclesiæ Ca- 7.
thedralis vacantis, cum proportionem etiam di-
cenda sunt de Capitulo Regularium, ita ut mor-
tuo

tuo Prælati jurisdictione immediate non devolvatur ad Episcopum, vel Superiorem, ut volunt aliqui, sed ad Priorem Claustralem, & Conventum tam in temporalibus, quàm spiritualibus. *Felin. in c. his qua n. 3. Barb. ibid. n. 4.* & hanc sententiam universali consuetudine esse receptam ex *Tamb. docet Engell nu. 16.* ubi in fine dicit, vacante sede Conventum posse litem (intellige necessariam) intentare, & procuratorem constituere, si vacatio sit diuturnior, & auctoritas Superioris accedat; cùm cæteroquin Capitulo non concedatur agere sede vacante, ut notant *DD. in c. 3. b. t.* advertendum etiam hinc, quòd Capitulares sede vacante speciali pacto, aut juramento se obligare queant, ut quisquis in Episcopum, vel Abbatem eligendus fuerit, certa statuta inviolabiliter observare debeat, quæ pacta aut juramenta obligant novum Episcopum, & Abbatem ad præstationem fidei interpositæ; nisi forent manifestè in præjudicium Canonum, Ecclesiæ, animarum, disciplinæ, vel Dignitatis Episcopalis, aut Abbatialis; tunc enim nec jurata obligabunt, *c. ult. de Pactis Eng. l. 1. tit. 2. num. 22. Panor. Barb. Schmalzg. l. 1. t. 6. à n. 41.* idque de jure communi; nam specialia Ordinis nostri Præmonstratensis statuta *dist. 4. c. 13.* videntur ejusmodi pacta & juramenta improbare, ac penitus annullare.

9. QUÆR. IV. Quæ qualitates requirantur, ut quis ad Dignitatem Ecclesiasticam Canonicè eligi possit?

ꝛ. Seqq. 1. Legitimitas natalium; nam illegitimi, quamvis à Principe sæculari forent legitimi, nequeunt ad Prælaturas eligi *c. innovavit. 20. de elect.* econtra legitimi per consequens

quens Matrimonium, capaces sunt omnium dignitatum, exceptâ Cardinalitiâ, à quâ eos exclusit Sixtus V. in Constitutione, quæ incipit: *postquam* &c. Professio religiosa quamvis legitime ad S. Ordines, non tamen ad Dignitates & Prælaturas; Item licet Episcopus cum illegitimo dispensare possit in Ordine ad minores Ordines, & beneficium simplex, ad Ordines tamen majores, dignitates, & beneficia curata solus Pontifex dispensare valet. *cit. c. innotuit* & *c. 1. de filiis presbyt.*

2. Eligi non possunt, qui descendunt ex genere maculato per hæresin, & quidem in linea paterna ad secundam, in materna ad primam generationem; nisi eorum parentes ante mortem fuerint Ecclesiæ reconciliati *c. statutum 15. de hæret. in b.* hæc tamen constitutio ut notat *Engel. l. 1. t. 6. num. 25.* non obtinet in Germania, ubi Zizania tritico impunè miscuntur. Item prohibentur eligi scismatici, & non permittuntur nisi dispensativè confirmari. *c. quia 5. b. t.* dispensatio autem hæc dari potest ab Episcopo; quia jura permittentia dispensationem rationabiliter intelligi non possunt de dispensatione Papæ, cùm huic semper competat, adeòque intelligi debent de dispensatione dandâ ab Episcopo.

3. Ad Episcopatum requiruntur 30. anni completi *C. 7. de elect.* & præterea, ut eligendus saltem per sex menses fuerit in Subdiaconatu. *Trid. sess. 22. c. 2. de refor.* quod alii ad omnes Ordines extendunt; ad inferiores Dignitates, & Beneficia curata requiritur annus 25. inceptus; nec requiruntur omnes majores. sed sufficit, quòd intra annum à die adeptæ possessionis, vel quo possessionem adipisci potuit, Sacerdotium suscipiat, ut

ut dixi *Cas. 78. num. 3.* est tamen hic annus non continuus, sed utilis, ita ut non currat justè impedito; quòd si post electionem impedimentum Sacerdotii occurrat, quòd moraliter, vel Physicè sit perpetuum, aut ad plures annos sine certo fine duraturum, sive illud sit in-sive voluntarium, electus poterit dignitate privari, eò quòd beneficium detur propter officium, ideòque incapax ad officium videtur etiam incapax ad beneficium. *c. 1. de etat. & qualit. h. t.* si tamen alius æquè idoneus non haberetur, posset dispensativè admitti; quòd maximè tenet, si jam esset confirmatus, & plenum jus in dignitatem accepisset.

12. 4 Ut quis ad dignitatem regularem eligi possit, debet esse non solùm tacitè, sed expressè professus; cùm in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit. *c. 49. h. t.* nec sufficit, quòd simul velit profiteri, & in Abbatem eligi; nam talis professio censetur potius fieri amore Dignitatis quàm Religionis *c. 37. h. t.* & si id in pactum deducatur, & religionem profiteatur sub conditione, ut Abbas fiat, simoniæ, crimen est. *c. fin. de pactis*; imò regulariter eligi non potest paulò post professionem, cùm nondum censeatur satis instructus in Regula Monachali *c. 38. h. t.* nisi id exigat necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas. Dixi, non tacitè, sed expressè professus; nam quamvis tacita professio sufficiat ad electionem activam, non tamen ad passivam, nisi Ecclesia regularis simul esset Cathedralis; tunc enim Novitius, aut etiam Clericus Sæcularis ob excellentiam Dignitatis in Episcopum eligi posset. *d. c. nullus 28. de elect. clem. 1. eod.*

§10. Eligendus debet esse de gremio Ecclesiæ 13.
vacantis, *c. nullus 13. dist. 61.* quia tamen hoc in
favorem eligentium statuitur, ne illis invitis extra-
neus obtrudatur, poterunt huic favori renuncia-
re, & extraneum, dummodo sit ejusdem Ordini,
& licentiam à suo Superiore obtineat eligere;
statuta Præmonst. *dist. 4. c. 12. n. 23.* privant il-
los eâ vice jure eligendi, qui conspirant de non
eligendo alio Pastore seu Abbate, quàm de gre-
mio Ecclesiæ; permittunt tamen, ut Præles ele-
ctionis ad instantiam totius, vel majoris partis
Conventûs dispensare possit cum iis, qui ex hâc,
vel alia causa pro una vice sunt privati voce; resti-
tutio autem *vocis perpetuò amissæ non suffragatur,*
nisi in scriptis obtenta à Domino Præmonst. ibid.
num. 26.

6. In eligendis requiritur congrua litterarum 14.
scientia. *c. 7. 17. 19. & 53. h. t.* & quidem eli-
gendi ad Ecclesiam Cathedralē debent esse actu
insigniti gradu Licentiæ, aut Doctoratûs in The-
ologiâ, vel Jure Canonico; vel saltem publico
Academiæ testimonio esse idonei ad alios do-
cendos.

7. Eligi non potest Neophytus, hoc est,
noviter ad fidem conversus. *Can. Apost. 79.*
quanto tempore autem aliquis debuerit esse
conversus, ut eligibilis fiat, relinquitur judi-
cio Superioris, cujus est confirmare electum,
qui id ex moribus, & pietate conversi ju-
dicabit.

8. *Ob morum improbitatem à Prælaturis remo-* 15.
ventur 1. ambitiosi, qui eligi affectant. *c. nullus*
118. caus. 1. q. 1. c. 9. 10. 11. & 19. caus. 8. q. 1.
o. 46. h. t. unde Statuta S. Ordinis nostri Præ-
monst. *dist. 4. c. 12. n. 13.* eos, qui per se, vel
per

per alios, sive in-sive extra Ordinem sibi litteras commendatitias procurant, ipso facto illâ vice privant voce activâ, & passivâ. Item privant ipso facto of-vel beneficiis sic obtentis. *c. 14. p. totum.* Similiter ob notam ambitionis nemo eligere potest seipsum, ita quidem, ut si omnes Capitulares essent mortui, vel jure suo privati, & jus eligendi in uno solo resideret, hic seipsum eligere non posset, sed necesse habet alium Clericum ejusdem tamen Ordinis, si regularis sit, nominare, vel in alios per compromissionem, aut aliter, jus eligendi transferre, à quibus deinde etiam ipse, si idoneus fuerit, eligi poterit. 2. Ob notam cupiditatis ineligibiles sunt, qui absque dispensatione Papæ tempore electionis habent plures dignitates, vel beneficia curata. *c. 54. h. t. & ibi Gloss.*

16. 3. Qui consentit electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis, non tantum ad hanc, sed & ad omnem aliam fit ineligibilis, nisi cum ipso dispenseretur. *c. quisquis 43. & ibi Panor. h. t. 4.* Intrusi, qui nimirum autoritate propriâ absque Canonica institutione aut titulo Prælaturam vel aliud beneficium occupant, detinent, aut administrant, saltem ad eandem Prælaturam vel beneficium fiunt inhabiles. *Less. Azor. König h. t. num. 43.*

17. 5. Ad Prælaturas eligi nequeunt infames infamiâ sive juris sive facti, ex vulgata regula, quòd infamibus portæ dignitatum non pateant *c. 87. de reg. jur. in 6.* infamia autem juris dicitur, quæ ex sententia judicis oritur, infamia facti, quæ ex publicitate enormis alicujus delicti v. g. hæresis, apostasiæ, sodomix, adulterii, incestus &c. divulgatur. *Pyrh. num. 94. h. t.* ubi dicit, infamiam juris non tantum remove à dignitatibus acquirendis, sed etiam ipso jure private acqui-

acquisitis; e contra infamiam facti solum facere inhabilem ad beneficia acquirenda, usque dum constet de constanti emendatione vitæ, nisi crimen forsan ipso jure pœnam suspensionis vel depositionis annexam habeat. 6. à dignitatibus & 18. beneficiis arcentur simoniaci, id est, tales à quibus vel pro quibus etiam ipsis ignorantibus pecunia, vel quid temporale datum, aut promissum est, ut eligerentur, *c. 3. caus. 1. q. 7. c. 59. h. t. c. 17. de sim.* & quidem si in facto aliquid datum sit, electio est ipso jure nulla. *extrav. 2. de sim. inter communes*; si verò tantum aliquid promissum fuerit, est irritanda *d. c. 27.* nisi in fraudem scilicet ad irritandam electionem aliquid datum, vel promissum fuerit, aut electus promissioni, vel donationi per alios factæ contradixerit, *Pyrh. nu. 96.* cum simoniacè electo solus Pontifex potest dispensare; nisi quis ignorans simoniacè sit electus ad beneficium simplex, illudque liberè, & præviè resignaverit; tunc enim Episcopus dispensare poterit. *c. si alicujus 59. h. t. Pyrh. num 98. Wiest. nu. 64.* de cætero simoniacè electus illam dignitatem consequi non potest, nisi intermedia persona ad illam electa fuerit, & per ejus mortem, vel resignationem denuò vacare contigerit; tunc enim nil obstat, quò minùs saltem ille, qui ob simoniam sine sua culpa remotus fuit, iteratò eligatur *c. 59. h. t.* multò minùs simoniacè electus prohibetur eligi ad aliam Ecclesiam, dummodo à Papâ absolutionem ab excommunicatione, quam incurrit, obtinuerit, & præviè pœnitentiam egerit. *Schmalzgr. num. 19. V. Cas. 66. nu. 36.*
E seq.

E

9. Ob

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

19. 9. *Ob censuram Ecclesiasticam* ab electione p[ro]f[er]a remouentur 1. Omnes excommunicati excommunicatione maiore & minore, ita, ut maior excommunicatio reddat electionem irritam, minor irritandam *c. 7. de cler. excom. c. fin. & ibidem Gl. ff. eod.* 2. Suspensi siue ab officio *d. c. fin.* siue à beneficio *c. 8. juncta Gloss. de atat. & qual. Ord.* ne suspensio reddatur elusoria, si priuatus officio, vel beneficio id per electionem denuo obtineret. 3. Interdicti personaliter, quia hi similes sunt suspensis ab officio. *Arg. c. 16. h. t. 4.* Irregulares saltem ex causa violati interdicti localis, vel personalis, ut habetur *c. is qui 18. §. in verò de sent. excom. in 6.* & hæc tenent etiam de excommunicatis, & suspensis toleratis, seu non denunciatis, nec iis suffragatur extravag. *Marrini V. ad euitanda,* cum per hanc Pontifex illis directè fauerenon intendat; nec obstat, quòd tolerati possint eligere, non autem eligi; nam eligi est in fauorem el[ect]i, econtrà eligere est magis in fauorem Ecclesiæ, quàm eligentis.
20. 10. Est in conscientia obligatio eligendi digniorem, est communis, & quòd ad dignitates, & beneficia curam animarum habentia certa. *D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. c. 5. dist. 61. c. 9. dist. 63. c. 45. caus. 1. q. 1. Trid. Sess 6. de refor. c. 1* patetque ex propositione 47. ab Innocentio XI. damnata, quæ sic sonat: *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesie magis utiles, ipsi iudicauerint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle,*

nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel Secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignosi vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus, ex cuius inquam propositionis damnatione, satis patet esse certam omninò obligationem in conscientia, eligendi digniorem; Ratio quoque naturalis, & ipsa iustitia distributiva idem evincit; dignior autem dicitur, qui consideratis omnibus qualitatibus &c. Ecclesiæ erit utilior; sic si Ecclesia in locis hæreticis indigeat protectore, dignior censebitur potentior, quamvis alius sit sanctior, doctior, &c. *V. dicta Cas. 28. numer 2.* valet tamen electio digni præ digniore, & taliter electus regimen tutâ conscientiam suscipere potest. *c. 19. V. illius & ibi Gloss. h. t. Ratio est,* quod communis quies exigit, ut ex hoc capite electio non possit impugnari; aliàs enim ferè omnes electiones versarentur in discrimine, & infinitis litibus daretur locus, cum faciliè prætendi posset alium esse digniorem &c.

11. Electioni obstat vinculum cum alia Ec- 27.
clesia; hinc Episcopus unius Ecclesiæ saltem confirmatus, quamvis nondum consecratus, non potest eligi, sed debet postulari ad aliam; econtrâ Abbas unius Monasterii potest eligi in Abbatem alterius, vel etiã in Episcopum, obtentâ tamen ab illo Superiore, cuius est confirmare licentiã transeundi, *Ratio diff. est,* quòd inter Episcopum, & suam Ecclesiam propriè intercedat matrimonium spirituale imprimens characterem Sacramentalem Ordinis Episcopalis, quale matrimonium non est inter Ab-

bates, & suas Ecclesias. *Schmaltzgruber l. 1. t. 5. num. 10.*

22. 12. Circa Abbatissas statuit *Trid. Sess. 25. c. 7. de regul.* ut nulla eligatur, quæ non habeat 40. annos, & 8. annis in Monasterio laudabiliter vixerit; si talis in proprio Monasterio non habeatur, ex alio sumenda erit; vel si id commodè fieri non possit, eligi debet habens 30. annos, quæ saltem 5. annos in Monasterio cum laude exegit; occultè corrupta, vel etiam vidua eligi, & electionem acceptare possunt, quia defectum virginittatis supplere potest vitæ Sanctitas, & in regendo prudentia; in pari rament habilitate virgo viduæ ob honorem virginittatis præferenda est. Prædicta tenent, etiam si vidua esset bigama, eò quòd habuisset plures viros, vel viduum, nam in scæminas propriè non cadit irregularitas, quæ solos Ordines Clericales respicit. *Laym. l. 3. scèr. 4. de formâ eligendi Moniales Vid.*

Casum 82.

num. 16.



CASUS LXXXI.

In Tit. 5. lib. 1. Decret.

De postulatione Prælat. &c.

FAbellius ad Dignitatem postulatus quærit I. *An Superior teneatur postulationem admittere.* 2. *An ipse ante admissionem in eam consentire possit.* 3. *An a Capitulo possit revocari.* 4. *Quid de postulatione non solenni.* 5. *Qui postulari possint.* 6. *Quot suffragia ad postulationem requirantur.* 7. *Quid si postuletur indignus.* 8. *Quid de litteris postulationis.* 9. *Cujus sit admittere postulationem.* 10. *Quis modus postulandi.* Pro-
resolut.

QUÆR. I. Quid circa naturam postulationis ?

2. Non solâ electione, sed & postulatione I. Dignitates Ecclesiasticæ acquiruntur; postulatio autem inventa est in subsidium electionis, ut si quis ob defectum Canonicum, dispensabilem tamen, eligi prohibeatur, saltem mediante postulatione dignitatem consequatur, ideoque postulatio definitur, quod sit *Capitularium petitio facta Superiori, ut is, qui propter impedimentum Canonicum jure communi ad dignitatem Ecclesiasticam eligi non potest, ad eandem per dispensationem admittatur*: ita quoad rem omnes. Hinc patet prima, & præcipua differentia electionem inter & postulationem; electio enim juxta *Gloss. inc. un. h. t. in 6.* innititur juri, adeo ut legitimè facta ex justitia confirmari debeat, & electus sine

- injuria rejici non possit. *c. 3. de elect.* postulatio verò innititur gratiæ dispensationis quam Superior sine injuria negare potest. *c. 3. § 5. h. t.* nunquam tamen tenetur Superior dispensare cum Postulato, & si nolit, compelli potest, si scilicet in ea versetur bonum commune. *Panor. c. 3. h. t. num. 14. Wiestn. num. 41.* non quòd Postulatus tali casu propriè habeat actionem contra nolentem dispensare, cum actio sit jus petendi rem ex justitia debitam, sed quòd possit implorare officium judicis; hinc sequitur secunda differentia,
2. quòd Electus ante confirmationem simpliciter consentire possit in electionem, quia ex parte sua nullum est impedimentum; Postulatus verò, cum sit impeditus, consentire non potest, nisi sub conditione impetrandæ dispensationis, sicut sponsi habentes impedimentum v. g. consanguinitatis, non possunt simpliciter, sed tantum sub conditione futuræ dispensationis in sponsalia consentire. *Laym. Can. quest. 1. Pyr. l. 1. tit. 5. num. 2.*
 3. 3tia. differentia est, quòd electio post publicatum scrutinium ab eligentibus revocari non possit; quia electus habet jus quæsitum *c. 58. de elect.* econtrà postulatio, utcumque fuerit publicata, aut etiam ad Superiorem destinata, modò in facto nondum fuerit præsentata, revocari potest; post factam verò præsentationem, sine consensu Superioris, revocari non potest, ne videantur Superiori voluisse illudere. *c. 4. h. t. Leur. quest. 212. § seq.* statuitur autem
 4. duplex postulatio à Canonistis, solennis scilicet, & non solennis; solennis seu propriè talis est, quando à Superiore petitur, quatenus in impedimento Canonico Postulati dispenset, ut si à Sum. Pontifice in Episcopum postuletur minor 30. annis

nis; simplex seu non solennis dicitur, quando non petitur dispensatio, sed solus consensus illius, cui persona postulata est subjecta; sic requiritur licentia Superioris, ut Religiosus, aut etiam ipse Abbas, vel Prælatus ad Episcopatum, vel Prælatum alterius Monasterii sui Ordinis assumi valeat; cum enim talis Religiosus nullo jure ad ejusmodi Dignitates inhabiletur, nec defectum Canonicum habeat, nullâ hic opus est dispensatione, sed solo Superioris consensu, ne ejus juri præjudicetur; unde patet postulationem non solemnem magis esse electionem, quam postulationem; possunt tamen simul concurrere postulatio solennis & non solennis, ut si Religiosus, aut Filiusfamilias Laicus non habentes 30, annos ad Episcopatum postulentur, tunc enim præter licentiam Abbatis, & patris, simul requiritur dispensatio Summi Pontificis in ætate & statu laicali filii. *Pyrh. n. 3.*

QUÆR. II. Quibus competat jus postulandi?

ꝛ. Regulariter omnes postulare possunt, qui possunt eligere. *c. 1. in fine c. 4. h. t.* hinc qui jus eligendi præscripsit, hoc ipso etiam jus postulandi præscripsit, etsi ob defectum occasione actum postulationis nunquam exercuerit; licet enim præscriptio, utpote stricti juris, juxta *Panorm. inc. 18. de præscrip.* non extendatur de casu ad casum, nec plus aliquis præscribat, quam possideat, *c. 3. de reg. jur. in 6.* fallit tamen hæc regula in iis, quæ necessariò connexa sunt, ut sunt jus eligendi, & jus postulandi; jus enim postulandi est supplementum, & quasi pars juris eligendi. *per c. 30. de elect. Engel. de elect. num. 2 Pyrh. nu. 17. h. t.* si tamen extraneus ad electionem quidem

per 40. annos fuisset admissus, à postulatione autem exclusus, solum jus eligendi, non autem postulandi, præscripsisset; quia nequidem per connexionem jus postulandi possedit, utpote ab illo per expressum exclusus &c.

QUÆR. III. Quid circa suffragia ad postulationem requisita?

6. 1. Tenenda esse sequentia: 1. Si postulatio concurrat cum electione, ita ut unus ab una parte postuletur alter ab aliâ parte eligatur, tunc, ut postulatio electioni prævaleat, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo major, quàm eligentium, v.g. ex 30 Capitularibus debent concurrere 20. ad postulationem, aliàs enim præfertur electio, etiam à parte minori facta, modò unam tertiam superet, ita ut è 30. votis ad minus habeat 11. & sit de idoneo. *c. 40. de elect. § ibi Abbas num. 13. § 14. Lott. l. 3. q. 17. num. 241.* norant tamen communiter Doctores, hoc non ita strictè esse accipiendum, adeò, ut, licet duæ tertix in postulationem non consentiant, sed tantùm major pars Capitularium v.g. ex 30. septemdecim, vel octodecim, reliqui autem eligant, tunc possit Superior consideratis circumstantiis, & personarum qualitate, vel postulationem admittere, vel electionem confirmare, vel utramque rejicere, adeò, ut ne electo quidem hoc casu aliquod jus acquiratur ante secutam confirmationem, *c. pen. h. t. Engel Pyrh. num. 18 Laym. can. quest. 8. Leur. p. 2. quest. 210.*

2. Si postulatio non concurrat cum electione, eò quòd omnes postulent, alii hunc, alii illum, tunc sufficit, quòd facta sit à majore parte

Ca-

Capituli v, g. ex 30. concurrant 16. in unum, ut admitti possit à Superiore ex gratiâ speciali etiam invitâ minore parte, ut constat ex *c. postulatio- nem h. t. & Ratio est*, quòd ordinariè ad gesta Capituli plùs non requiratur, quàm, ut major pars consentiat, *c. 1. de his que fiunt. Wiestn. nu. 26.*

QUÆR. IV. Quid de postulatione indigni?

R. Postulantes scienter indignum, hoc est 7. habentem defectum, vel impedimentum, in quo Superior, vel non potest, vel non solet dispensare, privantur pro eâ vice potestate postulandi, & eligendi, *Inn. in c. 1. & Panor. in c. ult. h. t.* impedimenta autem, in quibus dispensari solet, sunt vinculum alterius Ecclesiæ, defectus Ordinis, aut ætatis &c. econtrà non facilè dispensatur, ut ad Episcopatum postuletur minor 27. annis, vel saltem id specialiter prohibetur sub pœnâ privationis vocis activæ pro illa vice, *extrav. unic. de postul. pral.* similiter postulari prohibentur mendicantes ad Prælaturas alterius Ordinis ab Episcopatu distinctas; eandem pœnam incurrunt, qui attentant innovare postulationem ob vitium personæ cassatam, *c. 2. de post.* aut recipiunt postulatum ad Ecclesiam tanquam institutum, vel administratorem ante admissionem postulationis à Superiore factam; *c. 23. & ibi DD. h. t.* item qui postulant corpore vitiatum, simoniacum, moribus infamem, omninò illiteratum &c. in his enim facilè dispensari non solet.

QUÆR. V. Quid circa litteras postulationis, ejùsque admissionem?

R. Seqq. 1. In litteris postulationis exprimi 8. debent omnes defectus postulati, qui electio-

E 5

nem

nem impediverunt; alias enim ejus admissio erit nulla, & subrepticia, & ita scienter postulantes pro eâ vice æquè privantur jure eligendi, & postulandi, ac illi, qui scienter indignum postulant. *Arg. c. 20. de elect. c. 1. & 2. de filiis presbye. in 6. Ratio est*, quòd postulatus non admittatur, nisi per dispensationem; cùm autem dispensatio utpote juris communis relaxatio strictè interpretanda sit per *c. odia de reg. jur. in 6.* non extendit se ad ea, quæ litteris non exprimuntur.

2. Postulationis admissio regulariter spectat ad confirmantem, & admissio postulationis habet vim confirmationis. *c. 2. h. t.* si tamen Superior immediatus, ad quem aliàs confirmatio spectat, in defectibus postulati dispensare non posset, etiam non posset admittere postulationem; quia admissio hæc est dispensatio. *Panor. in c. ult. numer. 10. h. t.* sed hæc tunc ad Superiorem potentem dispensare vel Papam spectabit.

3. Episcoporum confirmatio, eorùmque postulationis admissio soli Summo Pontifici reservantur. *c. 4. de offic. legati c. 59. in fine de appellat.*

4. Omnes Dignitates, sive Episcopales, sive inferiores, quarum confirmatio, vel admissio ad Papam spectat; si electio ad eas, vel postulatio tanquam minùs Canonice à Papa rejiciantur, hoc ipso Sedi Apostolicæ reservantur per concordata Germaniæ §. 2.

QUÆR VI. Quid circa modum postulandi?

10. *Re.* Servanda esse seqq. 1. sicut triplex est via eligendi, scilicet per inspirationem divinam, vel quasi, per compromissum, & per scrutinium, sic

fic & postulandi; quia electio & postulatio in jure æquiparantur, *Abb. in c. qua propter de elect. n. 9. 2.* Si certum est, aliquem esse postulandum, non debet quis uti verbo eligo; neque econtrà uti verbo postulo, quando constat, eum esse eligendum; neque uti formulis sibi repugnantibus, ut eligo postulandum, postulo eligendum; aliàs enim omnis actus foret nullus. *c. un. h. t. in 6. Et ibi Gloss. c. 4. Et ult. h. t.* si tamen probabilis facti (non juris *c. 13. de reg. jur. in 6.*) ignorantia, vel dubitatio intervenerit, utrùm quis postulandus, vel eligendus sit, valebit hæc formula eligo & postulo, prout de jure meliùs valere potest; quo casu sic electus vel postulatus, quando consentit, tenetur viam postulationis, vel electionis eligere; & in eâ, quam eligit permanere, *d. c. un. Et ibi Gloss.* in postulatione verò non solenni, cùm aliquid de postulatione, aliquid de electione participet, Capitulares utroque nomine sive electionis sive postulationis uti possunt.

Eng. nu. 8.



CA-

CASUS LXXXII.

In Tit. 6. l. 1.

De Electionis Ordine, & Forma.

Capitulares sede vacante inter se consultantur.

1. *Quid agendum ante electionem, an v. electionis fieri possit ante sepulturam defuncti? cuius sit vocare absentes, indicare locum & diem electionis, &c.*
2. *Quae forma electionis servanda.*
3. *An valeat per inspirationem divinam vel quasi, & an tunc indigeat confirmatione.*
4. *An inspiratio valeat apud regulares.*
5. *Quid de formâ scrutinii.*
6. *Quid si aliqui veniant inchoatâ electione.*
7. *Quid si e Capitulo exeat major vel minor pars.*
8. *Quot esse debeant scrutatores, & an de gremio.*
9. *An scrutatores, & electores teneantur praeiurare.*
10. *Qualiter scrutatores vota exquirere debeant.*
11. *Qualiter vota in communi publicanda.*
12. *Quot vota in scrutinio requirantur, & quid hic possit consuetudo.*
13. *Quid de collatione zeli ad zelum, meriti ad meritum, & an locum habeant apud regulares.*
14. *Quid si duo certent prouinâ parte, vel duo sint aequales; aut in nullum pars major Capituli consenserit, an tunc fieri possit accessus.*
15. *Quid electio communis.*
16. *Quid de electione Monialium.*
17. *Quid compromissum, an fieri possit in Laicum, vel Clericum extraneum.*
18. *Quid compromissum absolutum, & limitatum, & quae utriusque conditiones.*
19. *Quot modis exspiret compromissum?*

Ut

Ut electio ordinatè fiat, & secundum Canones, aliqua observanda sunt præviè, alia in ipso actu, alia post actum electionis; de postremis casu seq. de primis in præsentè.

QUÆR. I. Quæ observanda sint ante electionem?

R. Seqq. 1. Electio non debet institui ante tertium depositionis diem, funere defuncti jam sepulto. *C. nullus 7. dist. 79. c. 36. h. t. valet* 1. tamen electio ante sepulturam facta, ita cum communi *Georg. Fasel. in canon. methodo pag. 7.*

1. Capitulares præsentès congregati assignant diem & locum electionis, nisi consuetudo habeat, ut hæc assignatio fiat ab Episcopo loci cum consensu Principis, in Ordine nostro Præmonst. assignatio diei, & loci electionis fieri debet à P. Abbate, *statut. dist. 4. c. 12. n. 3.* intellige, si hic commodè conveniri possit; aliàs à Priore, & Conventu, & ita habet praxis.

3. Dies, & locus absentibus notificatur per litteras, vel per nuntium, aut etiam per publicum proclama, vel credam, ut vocant, valvis Ecclesiæ & Curia Capitulari affixam.

4. Ipso die electionis celebratur Missa de Spiritu S. & electores etiam Sacerdotes (nisi consuetudo habeat, ut singuli privatim Missam legant) sacrâ Synaxi reficiuntur.

5. Dein sono campanæ vocantur ad Capitulum, *c. in causis 30. h. t.*

6. Ante Tractatum electionis invocatur gratia Spiritus S. per hymnum *veni creator Spiritus.*

7. Fit protestatio Præside vel alio nomine Capituli nolle se quempiam ad electionem, vel ejus suffragium valere, cui de jure eligendi potestas non competit, & hæc protestatio hunc habet effectum, ut si quis inhabilis

lis

lis per potentiam, vel aliter se electioni ingesserit, illa per hoc non vitietur, *König n. 85.*

8. Absolvuntur omnes electores ab excommunicatione aliisque censuris in ordine ad effectum electionis Canonice tantum, si quisquam ad illam habens talem potestatem.

9. Incipitur & continuatur electio ad locum solis, ex causâ tamen, ut si instet finis trimestris, vel timeatur aliud malum, etiam de nocte fieri potest accensus ad minimum tribus luminaribus, ne subsit suspicio fraudis, aut electio dicatur clancularia *Laym. quest. 34. Fasel. pag. 165.* hæc tamen omnia exceptâ absentium citatione, non sunt de substantiâ, sed convenientiâ electionis *Pyrh. l. 2. t. 6. n. 161.*

QUÆR. II. Quid observandum in ipso Tractu electionis?

2. Servanda est forma seu modus à jure probatus; est autem triplex, per inspirationem divinam vel quasi, per scrutinium, & compromissum; alio modo facta electio non valet, & eligentes contra facientes, eligendi protestate pro illa vicesunt privandi *per c. quia propter 42. h. t. facta per sortes ipso jure est irrita, ut contra Pellizar docet Fasel. pag. 128. & Ratio est, quia ejusmodi electio est contra formam à Trid. Sess. 25. c. 6. de regul. præscriptam cum clausula an-*

3. nullativa actûs contrarii; *Inspiratio autem divina* vel est verè divina, quæ fit per miraculum, seu revelationem Spiritûs Sancti, quemadmodum in Apostolum electio est S. Matthias, in Episcopum S. Nicolaus; & ejusmodi electio non subest legibus humanis nec indiget confirmatione, vel est inspiratio quasi divina, cum scilicet sine prævia conspiratione super certâ personâ omnes repente

penetè nullo excepto in unum conclamant, & consentiunt. Tunc enim præsumitur ejusmodi electio fuisse facta inspirante Deo; quia autem hæc præsumptio fallere potest, hinc talis electio adhuc indiget confirmatione, subestque Superioris examini, num absque fraude, simonia, vi, aut metu liberè peracta fuerit. hanc viam *Quasi inspirationis* locum non habere in electionibus regularium, eò quòd in hac ex præscripto Trid. nomina eligentium nunquam debeant publicari, docet *Barb. in collect. ad c. 6. Trid. sess. 25. de reg.* refertque decisionem Cardinalium, quæ si in forma authentica appareat, ei acquiescendum erit; alioquin probabile est, quod docet *Laym. qu. 230.* formam inspirationis etiam apud regulares locum habere; quia Trid. requirens vota secreta, commodè intelligi potest de forma scrutini, & in electione per quasi inspirationem videtur cessare ratio occultandorum votorum; quia vix potest esse ansa inimicitiarum, ubi omnes unanimiter in unum conclamant, & hanc formam inspirationis divinæ vel quasi, approbant *Statuta Premonst. sup. num. 10. §. 11.* ubi econtrà improbant sub pœna nullitatis viam scrutini, ubi ex antiquo non fuit in continuo & pacifico usu; videtur autem mihi certum, Statuta solùm loqui de scrutinio rigoroso, in quo vota coram scrutatoribus dantur vivâ voce, non autem quando scripta, & clausa conjiciuntur in calicem, ita ut maneat omnino secreta, & ipsos scrutatores lateant; tunc enim non poterit esse occasio inimicitiarum, quod præcipuè Trid. & Statuta præcavere voluerunt; & hæc forma eligendi coincidit cum compromisso limitato seu mixto, quod ab omnibus approbatur.

QUÆR.

QUÆR. III. Quid de forma scrutiniî ?

5. R. Modus eligendi per scrutinium accuratè describitur *c. quia propter 42. h. t.* his formalibus: Ut presentibus omnibus, qui volunt, debent, & possunt interesse, eligantur tres de Capitulo fide digni, qui secreto, sigillatim, ordinatè, ac diligenter exquirant vota cunctorum, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, nisi collatione habitâ eligatur, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit.
6. Dicitur 1. Presentibus omnibus; nam omnes jus eligendi habentes, debent vocari, si vel unus negligatur, potest agere de contemptu, & irritare electionem, ut ostensum est *Casu 79. num. 11.* Sed quid, si quis seriùs veniat inchoato jam actu electionis? R. Si fuerat contemptus, & veniat post publicatum scrutinium, potest petere rescissionem omnium gestorum, nisi malit pro bono pacis ratihabere *c. quod sicut. 28 h. t.* Si non fuerat contemptus, & veniat, dum fit scrutinium, debet quidem admitti ad Suffragia, & alia usque ad finem, non tamen est opus totum actum reiterare; imò si veniat publicato scrutinio, est solùm admittendus ad ea, quæ restant facienda, jam factis in suo robore permanentibus, idque suæ negligentix habet imputare. *Fasel. ex Pelliz. in man. Regul. to. 2. t. 9. c. 2. sect. 2. num. 73.*
7. Quid, si cæpto tractatu electionis aliqui exeant? R. Si exeat major pars, censetur hoc ipso actum electionis velle abrumpere, & in aliud tempus differre; & regulariter tenetur se minor pars accommodare, *arg. c. 1. de his qua fiunt à maj. part. cap.* Dico: regulariter, nam si periculum sit in mora, eò quòd instet finis trimestris,

stris, aut timeatur scisma, vel abusus Laicæ potestatis, aut etiam ex statuto talis Ecclesiæ, vel consuetudine solus Decanus, vel Senior haberet jus determinandi diem electionis, tunc aliis venire negligentibus, vel temerè recedentibus, jus eligendi manet penès eos, qui remanent, etsi tantùm essent duo, vel unus; quia etiam in uno solo jus Capituli conservari potest. *l. sicut ff. de cujusque universitatis. Pyrhing num. 137.* Si minor pars exeat, potest major pars remanens in electione pergere, *arg. c. cum nobis 19. h. t.* nam paria sunt non venire, & non exspectare finem. *c. 1. de judiciis;* unde tales discedentes frustra protestantur, & appellant; quia recedendo fecerunt se à Capitulo, & jure votandi alienos. *d. c. cum nobis. de Lucas discurs. 27. de Canonicis num. 9.* hæc jam dicta tenent, etiamsi post unam electionem ob non secutum consensum electi procedatur ad secundam, aded, ut nec tunc de novo vocandi sint, qui sponte abierunt, vel absunt, dummodo secunda electio fiat in continenti; sciunt enim vel scire debent, quòd electores possint toties, quoties necesse est, actum electionis repetere; cum ergo spontè absint, non poterunt agere de contemptu.

Dicitur 2. Eligantur tres (intellige scrutatores) de Capitulo, nec pauciores, nec plures, nec alii, qui non sint de gremio, idque substantiale esse cum communi docet *Fagn. in dict. c. quia propter num. 43,* & videtur esse clarum ex textu dicti *c.* ubi subjungitur clausula; *aliter electio facta non valet.* & *Fasel, pag. 47.* adducit Decisionem

F

nem

- nem Rotæ de Anno 1624. quæ dicit, esse indubitatum, tantum debere esse tres, & non plures scrutatores, alias electionem non valere, id quod indubio tutius est; hoc tamen non obstante testatur *Eng. de elect. num. 34.* consuetudine invaluisse, ut ex communi consensu Capituli, vel ordinatione Superioris alii viri idonei, qui non sunt de gremio, præsertim in electione regularium, plures, vel pauciores in scrutatores assumantur: & quamvis valde conveniens sit & in quibusdam locis usu receptum, ut scrutatores ante scrutinium præstent juramentum, quod fideliter agere, & vota secreto servare velint, id tamen jure communi expressum non est eligentes verò debent præstare juramentum de eligendo digniore; quod usu quidem firmatum esse ait *König num. 64. h. 1.* sed nullo jure decisum. At *Easel. pag. 12. §. 13.* adducit Decretum Clem. VIII. de Ann. 1595. & Urb. VIII. de 1624. quod ultimum dicit, esse irritum & inane, quidquid sine prævio ejusmodi juramento actum fuerit, derogatque contrariis constitutionibus etiam Mendicantium, ideoque pag. 15. exhibet formulam juramenti ab eligentibus præstandi; attamen id ubique non esse usu receptum testatur experientia.
10. Dicitur 3. *Qui secreto, sigillatim, ordinatè, ac diligenter exquirant vota cunctorum.* Igitur 1. Vota exquirenda sunt secreto, & sigillatim, hoc est, non in communi, sed seorsim ab aliis Capitularibus, ut quisque liberius votum suum possit exprimere, & eligendum vivâ voce nominare, vel in scriptis offerre, & quidem vota eligentium apud Regulares, si non maneat secreta, *Trid. sess. 25. c. 6. de reg.* decernit electionem futuram irri-

irritam; non tamen nocebit electioni, si unus, vel alter votum suum revelet; nisi id fiat cum consensu majoris partis Capituli; imò etiam si post electionem omnium consensu vota propalantur; quia factum subsequens electioni legitime factæ obesse non potest. *König. Schmalzgruber, à num. 88.* 2dò exquirenda sunt *Ordinatè*, ita scilicet, ut scrutatores primò à se invicem vota exquirant, & duo excipiant votum tertii. *Ratio* est, ne scrutatores aliorum votorum conscii sua ex illis vota instruere, & interdum pro arbitrato electionem ratam reddere, vel infirmare possint. *Panorm. in c. quiapropter 42. num. 9. de elect. 3tiò.* Diligenter quoque vota exquirenda sunt, non tantùm sciscitando nomen eligendi, sed etiam rationes, quare potius hunc, quàm alium eligi velint, ut exinde collatio Zeli ad Zelum, & meriti ad meritum fieri possit; sed hic rigor, uti & præcedens non observatur in electione regularium, ubi vota vivâ voce non exquiruntur, sed scripta in urnam vel calicem coram scrutatoribus positum conjiciuntur, ut ipsos quoque scrutatores lateat, cui singuli sua vota dederint, ideo consultius vota dantur typo excusa, quam propriâ manu scripta. *Laym quest. 73. 4.* Exquirenda sunt vota cunctorum, adeò, ut si in civitate vel collegio sint infirmi, qui nolint vel non possint sua vota per procuratorem exprimere, hos teneantur scrutatores accedere, & eorum vota excipere, &c.

Dicitur 4. Vota in scriptis (intellige ab aliquo scrutorum, vel Notario) *redacta mox publicent in communi, omni obstaculo appellationis remoto, ut habet textus.* Vota in communi dicuntur pub-

licari, quando ab uno scrutatore, vel cui hoc specialiter est commissum, integer eorum numerus publico Capitulo denunciatur, non explicando, quot ex ipsis in unam, vel aliam personam consenserint, sed tantum proferendo numerum personarum, quæ votarunt, v. g. dicendo, vota quæ à Dominis Capitularibus exquisivimus, sunt universim 30. tot scilicet, quot sunt votantes; in nonnullis tamen locis etiam exprimi solet, in quas personas, & quot in singulas vota directa sint. Effectus hujus publicationis est, quod electores post illam censeantur perfuncti officio suo, ideoque vota amplius variare non possint *per d. c. 58. h. t.* aliud obrinet in postulatione, in qua etiam post publicatum scrutinium variationi locus est, usque dum Superiori fuerit presentata, ut dixi *Cas. præc.*

12. Dicitur 5. Collatione habitâ is eligatur, in quem major & sanior pars consenserit; itaque i. Publicato scrutinio statim fit collatio numeri ad numerum, ut inde appareat, an, & quis à majori parte Capituli electus sit; ubi de jure non sufficit habere majora vota comparatione minoris partis, sed requiruntur majora respectu totius Capituli, nimirum ut ex 30. v. g. votis 16. stent pro electo, si unus haberet 14. alter 10. tertius sex, irrita foret electio *c. 48. 50. & 55. h. t.* & quamvis consuetudo contra jus prævalere possit, ut v. g. ille censeatur electus, qui habet majora vota respectu partis minoris, etsi non superet medietatem eligentium, quia tamen consuetudo est quid facti, unâ cum suis qualitatibus probanda erit, an scilicet habuerit actuum frequentiam, tempus legitimum, an causam rationabilem,

an nunquam per contrarios actus interrupta sit, Engel. num. 38. citans Jason. Myns. ubi bene notat vota dubia aut incerta, v.g. *Eligo Petrum vel Paulum, eligo, quem major pars elegerit*, haberi pro non datis, & in collatione numeri ad numerum non supputari c. 2. h. t. in 6. nec propterea novam electionem instituendam esse, 2. Fit collatio Zeli ad Zelum, id est, debet examinari, quo Zelo, seu ex quibus motivis Capitulares hunc potius, quam alium nominarint, ut constet, quis à majore simul & saniore parte (quod utrumque copulativè requiritur, c. 57. h. t.) sit electus, sanior autem pars censetur, à qua stant viri prudentiâ, & pietate magis conspicui, vel ut ait Pyrhing. num. 183. qui meliori Zelo, & intentione ducuntur, attendentes sola merita personæ, & bonum Ecclesiæ, non autem affectum amicitiae, consanguinitatis, aut proprium interesse. 3. Collatio meriti ad meritum, seu examinantur merita electi, num cæteris scientiâ virtutibusque præpolleat &c. 4. Hæc collatio Zeli ad Zelum, meriti ad meritum non solet fieri apud plerisque regulares, sed sola collatio numeri ad ad numerum, cum ob perspectam probitatem eligentium, eorumque juramentum dubitare non liceat, quin à majore parte electus verè sit dignus, idque plerumque ex privilegio Apostolico fieri dicit Laym. q. 76. Pyrhing. num. 184. minùs expedit collatio Zeli ad Zelum, meriti ad meritum in electione Abbatissarum, ob sexum ad querimonias nimis proclivem, c. 43. in fine h. t. in 6. Schmalzgruber num. 48. h. t. 5. Quamvis sæpè dictum C. quia propter requi-
rat, ut pro electo stet major simul & sanior

13.

14.

F 3

pars,

pars, ita, ut, si unus habeat majora, alter saniora, neutrius valeat electio. *c. 57. h. t.* si tamen majora in duplum superent, seu pro uno stent duæ tertiæ, hic absque comparatione Zell ad Zelum simpliciter erit confirmandus. *C. 9. h. t. in 6. & ibi Gloss. V. si quando. 6.* Si vota ita sint dispersa; ut in nullum major pars respectu totius Capituli consenserit, aut duo in votis fuerint æquales, nova instituenda erit electio, & quod suprâ dictum est ex *c. 58.* post publicationem scrutini, vota non posse mutari, intelligendum est in casu, quo secuta est electio cum effectu; insinuat tamen *Engel num. 40. Pyrbing. num. 76.* quòd tali casu electores mutatâ sententiâ possint accedere ad numerum ejus, qui suffragia plura, sed non sufficientia nactus est, quæ electio dicitur per accessum; & hoc quidem in electione summi Pontificis per *c. 6.* & ibi *Panorm. num. 8. h. t.* ac Monialium, seu Abbatissæ juxta *c. 43. §. sanè eodem in 6.* locum habet, & in aliis quoque Theoricè defendi potest; id tamen in praxi suadere non audet *Konig. num. 70.* præsertim si confirmatio à Sede Apostolica petenda sit; cum constet in Curia Romana electionem per accessum frequenter non admitti &c. 7. Si verò factâ collatione constet majorem & sanio rem in unum eumque dignum convenisse, confestim proceditur ad electionem communem, quæ nomine totius Capituli per unum è scrutatoribus, vel alium à Capitulo ad hoc deputatum facienda est; formam hujus communis electionis exhibet *Laym. q. 77.* videlicet: *Ego N. meo, & eligentium mihi que consentientium nomine invocatâ gratiâ Spiritus sancti in Episcopum, vel Abba-*

tem hujus Ecclesie eligo, & electum coram vobis pronuncio NN. in nomine Patris & Filii &c. Hæc electio vocatur communis, quia fit nomine totius Capituli; electio enim privata nihil aliud est, quàm singulorum Capitularium votatio, ideòque privatæ electiones sunt tot, quot sunt vota.

QUÆR. IV. Quid de electione Monialium?

R. De hac conc. Trid. Sess. 25. de regul. cap. 7. 16. sic habet: is qui (earum) electioni præest, Episcopus sive alius Superior, claustra Monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam, vota singularum audiat, vel (intellige in scripto) accipiat; Si vota ore tenus dentur, adhibendi sunt duo testes ab electionis præside, ita declarantur conc. Trid. interpretes apud Gallemart. ad sess. 15. de Reg. cap. 6. Si verò vota dentur manu eligentium scripta, adhuc conveniet ut præses secretarium vel unum testem exhibeat, ne ex post, (uti aliquando fit) moniales, si cum neò Electâ sint minùs contentæ, negent se votum suum in electam direxisse.

QUÆR. V. Qualiter electio fiat per compromissum?

R. Electio fit per compromissum, quando potestas eligendi uni, vel pluribus idoneis committitur, qui vice omnium Capitularium Ecclesie viduatæ de pastore provideant c. quia propter 45. b. t. quocirca tenenda sunt seqq.

1. Ut compromissum subsistat, omnes omninò Capitulares consentire debent, ita ut unius contradictio compromissum impediatur; agitur enim hîc de jure singulorum, ne quis invitus suâ voce

privetur, *Passer. de elect. c. 21. n. 19. Zoes. n. 74. eod.*

2. Et si compromissio non rectè fiat in Laicos p. c. 56. h. t. § c. 2. de judiciis. Potest tamen fieri in unum vel plures Clericos extraneos, qui non sunt de collegio, v. g. in Episcopum vel Abbatem, c. 8. § 21. V. post hæc h. t.
18. 3. Compromissum est duplex, aliud absolutum, aliud limitatum; absolutum est, quo datur compromissariis absoluta potestas, eligendi quemcunque idoneum, sive sit, sive non sit de gremio vacantis Ecclesiæ. c. 33. § 52. h. t. ad eò, ut huiusmodi compromissarius absolutus etiam postulare possit, si ita videatur Ecclesiæ expedire, ex recepta apud DD. regula, quòd qui potest eligere etiam possit postulare: c. 30. h. t. *Schmalzg. num. 58.* Compromissum limitatum est, quod fit sub hâc limitatione, ut compromissarius perscrutatis omnium votis teneatur illum eligere, quia maiore parte Capituli fuerit nominatus; unde patet hunc modum constari partim ex compromisso, partim ex scrutinio, c. cum dilectus 32. h. t. c. cum expediat 29. eodem in 6. hic modus ex compromisso & scrutinio mixtus plerumq; servatur in electionibus Regularium; ideòque non valet compromissum sub hac conditione, ut eligatur, in quem major pars Capituli non respectu totius, sed comparatione ad minorem partem consenserit. C. si cui 23. h. t. in 6. & Ratio est, quòd hæc conditio sit contra substantialem formam scrutini; quæ mixta est compromisso limitato, & in eo servanda *Passer. c. 22. num. 6.* in hoc scrutinio etiam alias condiciones admittit *Laym.* v. g. ut unus ex Capitularibus eligatur, aut unus eligatur, qui non sit de compromissariis, quas

74, quas condiciones si compromissarii acceptent, etiam servare debent; de cætero non prohibentur seiplos eligere, ne officium illis fiat damnosum, si propterea excluderentur ab electione passivâ: & quidem si è tribus compromissariis v. g. primus det votum suum secundo vel tertio, hic acceptando tale votum in effectu habebit duo adeoque majora; *Nec obstat*, quòd eligentes seipsum reputentur ambitiosi, & hoc ipso ineligibiles *per c. in scripturis 9. caus. 8. qu. 1.* nam acceptans tali casu votum pro se, principaliter non eligit seipsum, sed accessoriè tantùm coëligit; eò quòd electio ortum non habeat ab electo, sed ab aliis. *c. cum injure h. t.* hoc autem locum tantùm habet, quando compromissarii palàm & vivâ voce eligunt, ut unus alterius votum audiat, & cognoscat; si enim secretò, aut per privatum scrutinium v. g. in scripto procedant, tunc sicut quilibet ex ipsis ante publicatum scrutinium nescit, an electus sit, an non, sic nec præviè consentire potest. *Panor. sup. n. 6. Vivianus n. 4.*

4. Exspirat autem compromissum præcipuè ^{19.} quinque modis: 1. Per securam electionem, quamvis fortè non habuerit effectum, eò quòd electus eam noluerit acceptare, vel mortuus sit, aut instituta per compromissarios postulatio ante factam Superiori præsentationem per Capitulum revocetur; tunc enim compromissarii censentur perfuncti suo officio, ita, ut illud reassumere non valeant, nisi Capitulum expressè, vel tacitè, tolerando v. g. eorum actum, consentiat. 2. Si compromissarii tempus ad faciendam electionem sibi à Capitulo præscriptum elabi sinant, vel condiciones sibi politas non servent; *c. 52. h. t.* 3.

Si res adhuc sit integra, hoc est, si ad substantia-
 lia electionis v. g. nominationem personæ eligen-
 dæ nondum processum fuerit, & compro-
 missum ei Capitulo revocetur; commissum
 enim habet se in hoc veluti mandatum, quod re
 integrâ revocari potest. *Leg. 16. ff. de procur.*
 debet tamen ejusmodi revocatio fieri à majore
 parte Capituli; quamvis enim unus commissus
 impedire possit, ne fiat, non tamen cum
 præjudicio majoris partis jam factum revocare.
Eng. num. 43. 4 Si commissarii telegerint in-
 dignum, sive scienter, sive ignoranter, cen-
 sentur perfuncti suo officio & jus eligendi redit ad
 Capitulum, nisi ipsi electionem indigni ratam
 habuerint. *C. si commissarius 37. h. t. in 6.* 5
 Si commissarii tempus trimestre sine electione
 elabi permiserint, tunc electio pro eâ vice devol-
 vitur ad Superiorem, & Capitulum sibi im-
 putare debet, quòd in negligentes
 compromiserit, electionem non urserit, nec man-
 datum revocaverit, *d.*

c. 37. & ibi

DD.



C A S U S LXXXIII.

In eund. Tit. 6. lib. 1.

De Consensu, Confirmatione, &
Consecratione Electi.

Capitulares elegerunt Hadrium, quærun-
I. Qualiter præsentî, vel absentî intumanda
sit electio. 2. An electus teneatur electionem ac-
ceptare, & quotempore. 3. An Religiosus ad Epis-
copatum electus consentire possit non expectatâ Su-
perioris licentiâ, & an sufficiat licentia generalis.
4. Quomodo hi menses computandi. 5. An accep-
tare possit habens occultum impedimentum. 6. Qua-
liter faciendâ installatio. 7. Intra quod tempus,
& à quo petenda confirmatio. 8. An electus se ante
confirmationem regimini immiscere possit. 9. Quid
de Monialibus. 10. Quid si aliqui contradicant,
aut major pars asserat se in electum non consensisse,
scrutatores verò testentur contrarium. 11. Quan-
do ab Episcopo petenda consecratio, & an hoc fieri
possit ab uno tantum Episcopo. 12. Qui sint effectus
confirmationis & consecrationis. 13. Quid de Be-
nedictione Abbatum, ejusque effectu.

Electionem sequuntur consensus electi, confir-
matio, consecratio. De quibus

QUÆR. I. Quid circa consensum electi?

¶ Tenenda esse seqq. 1. Intra 8. dies, vel 1.
quò citiùs consideratâ loci distantîâ fieri potest,
debet per electores electio facta præsentari electore,

&

& ab eodem consensus requiri; alias electores quoad se, à processûs prosecutione totaliter excludantur, & ab omnibus beneficiis suis, quæ in ipsâ Ecclesiâ, de cujus electione agitur, obtinent, toto triennio ex tunc inchoando suspensi sunt. *c. 6. § 16. h. t. in 6.* Si electus est præsens, potest hæc electionis intimatio fieri ore tenus; si verò sit absens, debet ei electio notificari in formâ authenticâ, hoc est subscripta ab omnibus electoribus *Pelliz in manuali regul. tr. 9. c. 2. sect. 1. n. 44.*

2. 2. Electus non tenetur electionem acceptare, imò etiam si sit regularis, ad acceptandum per Superiorem cogi non potest; cum jure per professionem acquisito privari non debeat invitus; si tamen necessitas Ecclesiæ id exigat, & æquè idonius non adsit, ex charitate acceptare obligabitur, & à die electionis sibi præsentatæ habet mensem deliberandi, intrâ quem si non consentiat, hoc ipso omni jure per electionem acquisito privatus est. *c. 6. h. t. in 6.* Si tamen persona electa non sit in statu consentiendi ante habitam Superioris licentiam, veluti Religiosus, tunc mensis deliberationis priùs incipit à die obtentæ licentiæ, quæ pro majori, vel minori distantia Superioris celerius petenda erit. *c. 5. de concess. præb.*
3. Religiosus electus ad Episcopatum, vel Prælaturam alterius Monasterii, si consentiat ante obtentam à suo Abbate [qui eam irrequisito Conventu præstare potest] licentiam, electio ejus hoc ipso in pœnam viribus evacuatur. *c. 27. h. t. in 6.* nec sufficit licentia Generalis à Superiore concessa, vi cujus Religiosus omni electioni, vel promotioni consentire valeat; cum enim hæc ambitioni viam paret, reprobatur, & invalida declaratur per *Clem. ult. h. t.*

3. Com

3. Computantur autem pro mense tot dies, 4. quot habet mensis ille, in quo fuit electio præsentata; ut si præsentatio fiat in Majo, habet 31. diem ad deliberandum; si in Februario, habebit tantum 28. & si dies aliqui de mense sint elapsi, suppleantur ex diebus mensis sequentis. *Arg. c. 2. de supp. negl. Pral.* quod idem dicendum videtur de tribus mensibus ad eligendum, & ad petendam confirmationem concessis, ut notat *Gloss. in c. 6. V. mensem h. t. in 6.*

4. Qui habet occultum impedimentum, v. g. 5. est illegitimus, aut irregularis, non potest licite consentire in electionem ante impetratam dispensationem, nisi evidens utilitas, vel Ecclesiæ necessitas non permittat expectare dispensationem; nec recusans dignitatem propterea diffamatur, quin potius sit laudabilis propter humilitatem, colligitur *ex c. innotuit 20. h. t.* Ratio est, quod Leges justæ in foro externo etiam sint justæ in foro interno, & quamvis fortè sint pœnales, si tamen pœna ipso jure sit inflicta, & aliam exteriorum executionem non requirat, veluti irregularitas, excommunicatio, impedimenta matrimonii, inhabilitas ad beneficia, & similia, quæ in negativo, aut inhabilitate consistunt, etiam in conscientia locum habent. *Engel. n. 54. h. t.*

5. Post acceptatam electionem, electo solent 6. tradi claves, & præcipuè clavis ad archivium, & ærarium, deinde super pellicio, stolâ, & byreto indutus medius inter electionis præfides, præcedentibus electoribus, ad Ecclesiam processionaliter, & sub solenni campanarum pulsu deducitur; ubi post cantatum solenniter *Te Deum*, & datâ in majori Altari benedictione, in Episcopali cathedra intronifatur, vel ad stallum Abbatiale

do

deducitur, & manuum osculo eidem obedientia promittitur &c. notandum tamen, quòd per ejusmodi intronisationem, installationem, aut similes ceremonias ante confirmationem exercitas non acquiratur propriè possessio beneficii; quia hæc capi non potest ante confirmationem. *Leur.* 9. 802.

QUÆR. II. Quid circa confirmationem?

7. 1. Observanda seqq. 1. Confirmatio debet peti intrà tres menses à die præstiti consensûs, intra quos, si cessante justo impedimento, non peratur, electus hoc ipso censetur suo juri renunciâsse, eòque de facto privatur. *d. c. 6. h. t. in 6.*

2. Confirmatio debet peti, & dari gradatim, hoc est, à proximo Superiore; sic confirmatio Abbatis, nisi exemptus sit, ab Episcopo, Episcopi ab Archi-Episcopo, Archi Episcopi à Patriarchâ petenda erit; nisi hujusmodi confirmatio specialiter Sedi Apostolicæ reservata fuerit, quemadmodum per concordata reservatur confirmatio, & consecratio Episcoporum in Germaniâ. In S. Ordine nostro Præmonst. confirmatio competit Patri Abbati; notandum hîc, quòd jura tempus non præfigant, intrà quod Superior electum teneatur confirmare; si tamen injustè differatur, potest à Superiore confirmantis peti, uti terminum, intrà quem confirmatio fieri debeat, constituat, quo elapso ipsemet confirmabit. *Arg. c. 13. §. excessus de off. jud. ord.*

3. Ante obtentam confirmationem electus se regimini immiscere nullatenus potest; quòd si se immisceat, sive per se, sive per alium, sive in parte, sive in toto, etiam tantùm administran-

strando sub nomine œconomi, aut juramenta, & homagia recipiendo, excommunicando, absolvendo, judicando &c. hoc ipso privatur omni jure per electionem quæsito, & redditur imposterum ineligibilis. c. 9. 12. § 17. h. t. faciens verò sola præparatoria ad futurum regimen non dicitur se immiscere, pœnalia enim sunt cum effectu accipienda. Ab hâc generali Regulâ excipiuntur extra Italiam per concordiam, hoc est, saltem per majora vota nullo electionem impugnante, electi; quorum confirmatio immediatè spectat ad Sedem Pontificiam; his enim ob distantiam loci, & periculum Ecclesiæ interim vacantis, conceditur statim administratio in temporalibus, & spiritualibus, exceptâ solâ alienatione rerum Ecclesiasticarum, adeò, ut ab iis gesta tanquam valida sustineri debeant, licet fortè confirmatio ex post non lequatur. c. 44. h. t. Pirrh. n. 300. neque videtur his obstare extrav. 1. h. t. nam hæc, ne sit juris correctiva, strictè, & de solis intra Italiam electis, & ad confirmationem, vel consecrationem S. Sedis spectantibus intelligi debet.

4. Speciale est in electione Monialium, quòd 9.
electa à solâ majore parte, minore licet invitâ etiam ante confirmationem suscipere possit administrationem bonorum, dummodo de rebus Monasterii nil penitus alienet, nec aliquam quovis modo in Monialem recipiat. c. 43. §. sanè h. t. in 6.

5. Superior antequam electum confirmet, debet diligenter inquirere in ætatem, mores, scientiam, aliàsque qualitates electi, item debet examinare formam & processum electionis, an sit legitime celebratus, & si aliquis in particulari electioni

10.

Electi

ctioni contradicat, hunc debet nominatim evocare, seu citare; si nullus talis adsit, edictum generale ad valvas Ecclesiæ affigendum est, in quo peremptoriè ad diem definitum citantur, si qui velint se electioni factæ opponere; hæc vocatio seu citatio si negligatur, subsequuta confirmatio est ipso jure irrita *c. fin. h. t. in 6. Pirh. num. 321.* hæc tamen citatio apud Regulars fieri non consuevit. Quòd si major pars Capituli dicat se in electum non consensisse, sed in alium vota direxisse, econtra scrutatores testentur contrarium, magis his, quàm electoribus credendum est; eò quòd electores sint testes singulares, ignorant quale votum alter in secreto dederit, quorum etiam 100. non faciunt plenam probationem; econtra scrutatores sunt contestes in causâ alienâ; & quamvis fortè non sint testes omni exceptione majores, eò quòd ob suspicionem falsi videatur simul agi de eorum honore, & in tantum testari in causâ propriâ, tamen prævalent testibus singularibus, pariter in causâ propriâ testantibus. *Engel. n. 53.*

QUÆR. III. Quid circa consecrationem Episcopi.

- II. R. Post confirmationem sequitur consecratio, quam si Episcopus intrâ tres menses à die confirmationis numerandos non petat, tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum; si intrâ tres alios menses, hoc est, intrâ sex non petat, Dignitate Episcopali ipso jure est privatus; debet autem hæc consecratio fieri die Dominicâ tempore Missæ à tribus Episcopis; ex dispensatione tamen Papæ etiam ab unico Episcopo assistentibus duobus Abbatibus. *Pirh. nu. 344. Schmalzg. num. 8.* & colligitur *ex can. 1. Apost.* ubi Episcopus à duobus vel tribus ordinari jubetur. QUÆR.

QUÆR. IV. Qui sint effectus confirmationis & consecrationis?

R. Sunt seqq. 1. Per confirmationem acquiritur plenum jus in dignitatem, ita, ut confirmatus vi confirmationis possit omnia ea, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, ut judicare, punire, absolvere, dispensare, visitare, gratias, privilegia & beneficia conferre, juramenta, & homagia recipere, electos confirmare, investire, alteri Episcopo licentiam dare ad exercenda in suâ Ecclesiâ Pontificalia &c. ipse tamen Pontificalia exercere, ordinare, confirmare non potest ante consecrationem; quia hæc non sunt jurisdictionis, sed Ordinis Episcopalis, qui per solam consecrationem obtinetur; imò Archi-Episcopus licet confirmatus ante obtentum pallium non potest ea exercere, quæ ei ut Archi-Episcopo competunt, velut indicere Capitulum Provinciale, Provinciam visitare. c. 28. §. super eo h. t.

12.

2. Post consecrationem, vel saltem elapso tempore consecrationi præfixo, beneficia prius obtenta vacant ipso jure, ita, ut collator ea alteri liberè conferre possit. c. 7. §. cum verò & ibi Gloss. & DD. h. t.

13.

3. Sicut Episcopus sic & Abbas cum proportionem vi confirmationis potest omnia ea, quæ sunt jurisdictionis, vi benedictionis ea, quæ sunt Ordinis, scilicet exercere Pontificalia, benedicere vestes, & paramenta sacerdotalia, ac cætera omnia in quibus non intervenit S. Unctio, item conferre minores Ordines non tantum suis subditis, ut concedunt omnes, sed etiam Novitiis, qui in favorabilibus veniunt nomine professorum,

G rum,

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III.

rum, imò non subditos ex delegatione scilicet alterius Abbatis; qui sicut ipse ordinare potest, sic & suas vices alteri, eandem potestatem habenti, delegare. *Engel. de priv. Monast. priv.* 49. vide dicenda *Cas. 103. n. 11.* si usus loci non habeat, ut Abbas benedicatur, per solam confirmationem non tantum potestas jurisdictionis, sed & Ordinis Abbati confertur, dummodo sit Sacerdos *Arg. c. alienationes caus. 12. q. 2.* & ibi *Gloss. Pirh. n. 402.* differt autem benedictio Abbatis à consecratione Episcopi, quòd benedictio Abbatis non imprimat characterem, sed sit tantum deprecatoria manuum impositio. *c. 1. dis. 69.* nec fiat per assistentiam Episcoporum, sed duorum Abbatum, illa verò Abbatibus præcipuè impenditur, ut in honore proximè ad Episcopos accedant, & quædam ex eorum officio participant &c.

C A S U S LXXXIV.

In Tit. 5. lib. 3. Decret.

De Beneficiis Papæ per Concordata
Germaniæ, & aliter reservatis.

JAlon Canonista interrogatur. 1. An omnia be-
neficia possit Papa conferre. 2. An Ordinarius
validè conferat reservata, vel affecta, quid si
quis intuitu beneficii affecti aliud dimiserit. 3.
Qualiter reserventur beneficia vacantia apud Sedem
Romanam vel in Curia. 4. Qualiter vacantia per
obitum Nunciorum vel Officialium Curie. 5. An
vacantia per Promotionem à Papa obtentam, &
quid si ex dispensatione Papa priora retineantur,
an adhuc manebunt affecta. 6. Quid si Promotio
fiat ab Ordinario. 7. Quid de beneficiis resignatis
apud Ordinarium in mense Papali. 8. Quid de va-
cantibus per depositionem, translationem, resigna-
tionem Rome factam. 9. Quid de regulis Cancel-
laria. 10. Quid de beneficiis ob delictum reservatis.
11. Quæ beneficia à reservatione sint libera. 12.
Quid sint concordata Germania, & an vi illorum
vacent beneficia Episcoporum titularium, vel Pro-
motorum vi precum. 13. Quid de alternativis pre-
sertim Sede Papali vacante. 14. Quid in dubio,
an beneficium vacet in mense Papæ, vel Ordinarii.
15. Quid si Papa non conferat intra tres menses.
16. An hoc trimestre currat sede Papali vacante,
quid si Papa contulit, sed indigno. 17. Quid si Pa-
pa intra mensem non conferat beneficium vacans in

Curia, 18. Quid concordata habeant circa Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus. 19. Quid de annatis. 20. An Papa concordatis possit derogare. 21. Quinam concordatis obligentur. 22. An consuetudo concordatis derogare possit. 23. Quid circa beneficia urbis Coloniensis. 24. Quid sint Preces Casarea. 25. Quid si Ordinarius precibus deferre nolit. 26. Quis sit effectus Precum. 27. In quibus beneficiis locum habeant. 28. In quibus non habeant. 29. An Casar variare possit. 30. An pro eadem personâ apud plures collatores Preces interponere. 31. Quid si Precista beneficium vacans intra mensem non acceptet, vel Preces non insinuet. 32. An Preces exspirent morte Casaris. Pro resol.

QUÆR. I. Quid Papa possit circa beneficia in genere?

- I. R. Ad S. Pontificem de jure spectat conferre omnia totius orbis beneficia. per *c. 2. de prob. & dig. in 6.* ex post verò cum dilatâ per orbem Ecclesiâ Romano Pontifici de idoneitate singulorum, impetrantium constare non posset, in partem sollicitudinis vocavit Episcopos, iisque potestatem conferendi beneficia suarum Diœcesium communicavit, eâ tamen moderatione, ut Papa tanquam Ordinarius Ordinariorum cum iisdem haberet jurisdictionem concurrentem, imò superiorem, & præcipuam. *d. c. 2. Sc. dudum 14. §. nos igitur h. r. in 6.* ita ut locus esset præventioni, & ille potior foret jure, cujus collatio prior erat tempore; sed cum hic modus concurrenter conferendi multas invehret lites, & confusiones, eò quòd Ordinarii volentes prævenire Papam, sine delectu personarum præcipitent collationes, Papa tum per Canones clausos in

COR-

corpore juris, tum etiam per Bullas extraordina- 2.
rias, Regulas Cancellariæ Romanæ, concordata
Germaniæ &c. certa beneficia suæ collationi
reservavit, ita, ut nullus inferior Prælatus sine
speciali privilegio, vel commissione Papali ea con-
ferre valeat, & si ejusmodi beneficium Papæ reser-
vatum vel affectum, id est, tale, in quo Papa de
facto manus apposuit, seu circa quod disponere
cœpit, Prælatus inferior conferat, tametsi ex
ignorantiâ juris vel facti, collatio hujusmodi est
irrita; qui tamen intuitu ejusmodi collationis
præhabitu beneficium resignavit, poterit ad il-
lud redire, etiamsi jam aliis collatum fuerit, mo-
dò in dimittendo altero, quod ab Episcopo in-
validè accepit, difficilem se non exhibuerit. *c. si
postquam 13. c. 20. h. t. in 6. Barbos. Gonz. Pa-
risius. Eng. h. t.*

QUÆR. II. Quæ sint beneficia Papa jure com-
muni reservata?

R. Seqq. 1, Reservantur beneficia vacantia 3.
apud Sedem Romanam vel in Curiâ, hoc est,
beneficia eorum, qui ob quodcunque negoti-
um Curiam Romanam sequuntur, in eâ, vel
ab eâ recedentes, aut ad eam accedentes intrâ
duas diætas legales moriuntur; diæta autem le-
galis hîc significat iter unius diei, id est 20.
milliaria Italica, seu 4. vel 5. Germanica; hoc
tamen Statuto non comprehenduntur ii, qui
in loco Curiaë domicilium suum ordinarium ha-
bent, & non sunt Curiales, neque ratione Cu-
riaë ibi degunt; nec comprehenduntur ii, qui
à Curiâ recedunt ad sua domicilia intrâ duas
diætas distita. *c. licet 2. c. statutum 3. c. presentis
34. h. t. in 6.* porò Curia Romana ibi cense-
tur esse, ubi est Papa cum Cancellaria & Tribu-

nalibus; si Papa alió proficiscatur relictis Romæ Tribunalibus, quoad effectum reservationis in utroque loco dicitur esse Curia, & ita declarasse Clem. VIII. testatur *Reiffenst. l. 3. t. 5. n. 422*. meritò tamen cum *Engel.* dicit in hoc attendendum esse stylum Curia.

4. 2. Reservantur beneficia vacantia per obitum Cardinalium, Nuntiorum, aliorumque Sedis Apostolicæ Officialium Curialium aut Familiarium, quantumcunque locus, in quo decedunt, à Curia distet; quia ratione officii semper censentur affixi Romæ. *Leur. t. 2. quest. 536.*

5. 3. Qui Authoritate Pontificiâ ad aliquam Dignitatem promoventur, omnia eorum beneficia præhabita, tam regularia, quàm sæcularia, etiam electiva per *extrav. ad regimen inter communes h. t.* reservantur, si sint cum novâ dignitate incompatibilia, & nova dignitas quietè possideatur; idque tenet, etiamsi Papa dispenses, ut priora simul retineant neopromoti. *Garc. Barb. Schmalzg. l. 3. t. 5. n. 256.* contra *Eng. n. 16.* *Leur. Wisner Sc.* & ita habere praxin Curia testatur *La Croix l. 4. n. 508.* Ratio est 1. Quòd *d. extrav.* dicat generaliter reservari omnia beneficia, que obtinebant tempore promotionis nunc vacantia & in ante vacatura. 2. Illa beneficia manent affecta per appositionem manûs Pontificiæ, & per consequens reservata, nec Papa dispensans plenè de iis disposuit, ut vult *Engel.* tum quia dispositio perfecta fit de solis beneficiis vacantibus, dispensatio autem fecit, ut in effectu non vacarent, tum quia provisus alioquin deberet iterum solvere statuta, iterum emancipari & esse junior, quod est contra praxin. *Dices* cum *Engel. t. d. extrav.* reservat tantùm be-

ne-

beneficia vacantia per promotionem; sed beneficia, quæ promotus retinet usque ad mortem, non vacant per promotionem; ergo. 2. Ejusmodi Papæ dispensatio non est nuda manûs appositio, sed potius actualis collatio, reservationis consummativa; quid enim refert, an Papa beneficium sibi per promotionem delatum alteri, vel eidem concedat? 3. Talia beneficia possunt resignari, ergo signum est non amplius esse reservata. 4. Reservatio est odiosa, ergo non est extendenda ultra verba clara. *q. ad 1. & 2.* non tantum beneficia vacantia, sed & affecta reservantur, usque dum Papa de iis perfectè, & cum affectu disposuerit; de his autem non disposuit perfectè, ut patet. *Ad 3.* dico beneficia hæc posse resignari, sed ad manus Papæ, quod non obstat reservationi. *Ad 4.* verba extrav. sunt satis clara. *Dixi autoritate Pontificiâ*, nam si provisio de secundâ dignitate, vel beneficio fiat ab Ordinario, tunc quidem prima ipso jure amittuntur post adeptam possessionem secundi, an autem priora Papæ sint reservata est incertum; *Chockier. Nicolartz. dis. 1. §. 22.* dicunt esse reservata, sive vacent in mense Papali sive Episcopali, econtrâ *Eng. n. 16.* dicit theoreticè, hoc est, si stilus Curix seu praxis Romana non sit contraria, esse certum in mense Episcopali vacantia per factam ab Episcopo collationem vel promotionem non esse reservata, quid *d. extrav.* clarè habet hanc clausulam: *per nos seu autoritate nostrâ promoti*, ergo beneficia vacantia per promotionem factam ab Episcopo non sunt reservata; in materia enim reservationis utpote odiosâ non est facienda extensio. Pariter sub reservationem non cadunt beneficia vacantia per

resignationem apud Ordinarium, sed Episcopus potest in omni mense admittere resignationes simplices, & conferre beneficia etiam in mensibus Papæ resignata. *Gonzal. Chok. Nicolart. d. 9. §. 9.* Regula enim octava Cancellariæ in suis reservationibus habet hanc clausulam: *alias, quam per resignationem quocunque modo vacantia.*

4. Dictâ extrav. ad regimen reservantur omnia beneficia vacantia per depositionem, privationem, translationem, muneris vel consecrationis susceptionem, electionis vel postulationis cassationem, item per resignationem, vel renunciationem admissam; intellige, si illa omnia fiant Romæ, vel alibi auctoritate Pontificiâ; nam si resignatio fiat coram Ordinario, etiam si resignans, vel electus existat Romæ, propterea non inducetur reservatio; resignatio autem in favorem certæ personæ non potest fieri, nisi coram Papâ, ut dicam *Cas. 86.* sæpedita extrav. etiam tenet in his partibus utpote inserta Concordatis Germaniæ.

5. Regulæ Cancellariæ, quarum tenorem exhibet *Reiffenst. post num. 487.* varias continent reservationes, sed de his in quantum Germaniam concernunt dicetur infra, quando de Concord. Germ. Regulæ autem Cancellariæ sunt certæ constitutiones, quas singuli Pontifices in ingressu sui regiminis circa causas judiciales, & beneficiales facere vel à Prædecessoribus factos renovare, augere, vel minuere solent; nec hæ regulæ corpori juris insertæ sunt, sed sub singulis Pontificibus noviter imprimuntur; quia expirant cum morte Pontificis, & sede vacante cessat reservatio in solis his Regulis fundata v. g. reservatio alternativa mensium, ut infra videbimus,

mus; & his regulis speciale est præ aliis legibus, quòd statim ligent, ut primùm à novis pontificibus assumuntur, vel confirmantur etiam non publicatæ, scilicet quò ad effectum nullitatis actûs in contrarium gesti, non verò quò ad culpam, vel pœnam, nisi post publicationem. *Engel hic num. 19.*

610. Etiam in pœnam delicti reservantur beneficia. 10.
1. Ob hæresin. 2. Ob simoniam. 3. Si in collatione beneficiorum non observetur forma Trid, ut si Episcopus beneficium curatum conferat non habenti 25. annos, vel beneficium simplex impuberi. 4. Si neglecta est publicatio resignationis, 5. Si quis molestet litigantes in Curia Romana, aut eorum Judices, Advocatos &c. 6. Si ex potestate concessa à Papa beneficium conferatur inhabili &c. sed hæc & similia locum non habent in Germania, eò quòd non contineantur in concordatis. *Chockier tit 8. num. 24. Eng. t. 5. num. 18.*

QUÆR. III. Quænam beneficia à reservatione sint libera ? 11.

R. I. Et si Papa absolutè possit, tamen de facto non reservat beneficia juris patronatûs Laici, quod habetur ex fundatione, dotatione, aut constructione Ecclesiæ, ne homines à piis foundationibus faciendis absterreantur; neque illa beneficia cadunt sub alternativa. Idem dicendum, si jus Patronatûs sit mixtum, id est, Clerico simul, & Laico competens; quia æquum non est, ut Laicus ex Societate Clerici privilegium suum amittat. *Garc. van Espen. Pyr. nu. 324.* beneficia tamen, quæ Clerici fundarunt, non ex bonis patrimonialibus, sed Ecclesiasticis, sub reservatione cadere possunt, sicut & ea, quorum jus pa-

tronatus Laicus vel Clericus habet ex privilegio vel præscriptione. *Eng. n. 8. Leur. q. 534. Reiffenst. n. 396.*

2. Non reservantur beneficia manualia, tum quia in odiosis non veniunt nomine beneficii, tum quia beneficiati ad nutum revocari possunt, & hoc ipso, quòd Superior illos amoveret, eluderetur reservatio; tum denique, quia nunquam propriè vacant, eò quòd Rector principalis sive Prælatus vel Collegium, cui beneficium est incorporatum. *Reiffenst. n. 304.*

3. Non reservantur beneficia, in quæ quis tantùm habet jus ad rem, non autem jus in re, v. g. ex collatione nondum acceptatâ; quia ante acceptationem nondum censetur beneficium fuisse ipsius. *C. si tibi absenti 17. h. t. in 6.*

4. Nec reservantur beneficia resignata excussa permutationis; quia non censentur propriè vacare. *Laym. Schmalzg. nu. 222.*

5. In Germania nulla beneficia reservantur, nisi contenta in Concordatis, de quibus

12. QUÆR. IV. Quid circa concordata Germaniæ?

R. Famosa Germaniæ Concordata aliud non sunt, quàm certæ constitutiones, & pactiones ad terminandas innumeras lites circa beneficia, Anno 1447. conventæ inter Nicol. V. Sum. Pontificem, & Fridericum III. Imper. totùmque Imperium; tenorem Bullæ exhibet *La Croix l. 4. nu. 503. Reiff. nu. 535.* ejus substantia consistit in sequentibus.

1. Repetit omnes reservationes, quæ habentur in *Extrav. ad regimen*, de quibus sup. scilicet circa beneficia apud Sedem per mortem in Curia aut in vicinia intrâ duas diætas, aut per dispositio-

nem,

nem, privationem, resignationem, vel promotionem auctoritate Apostolicâ factam vacantia; excipiuntur beneficia promotorum ad Episcopatus titulares, velut Suffraganei. *Nicolart's tit. 1. dub. 1. §. 24. Leur. q. 542. nu. 11.* Item non reservantur beneficia, quæ vacant per promotionem factam vi Precum Imperatoriarum; quia talis promotio non censetur immediatè facta vi litterarum Apostolicarum. *c. de multa 28. de præb. Schmalzg. n. 255.*

2. Reservantur in Germania tantùm sex menses 13. alternativè, ita ut collatio beneficiorum vacantium in primo mense, scilicet Januario, spectet ad Papam, in Februario ad Ordinarium, in Martio iterum ad Papam, & sic deinceps; & quidem Sede Papali vacante omnia beneficia etiam in mense Pontificio vacantia conferri posse per Ordinarium non obstantibus Concordatis docent *Barb. alleg. 57. num. 62. Leur. q. 600. Engel à num. 48.* idque de beneficiis curatis expressum habetur *c. 35. de præb. in 6.* de simplicibus probatur; nam quamvis Concordata sint perpetua, & non expirent per mortem Pontificis, sicut regulæ Cancellariæ, tamen Pontifex vi illorum non intendit aliter sibi reservare menses, quàm priùs per regulas Cancellariæ reservare consueverat, scilicet vivente tantùm Pontifice; ergo vacante Sede Pontificia nulli menses vi concordatorum reservantur, sed attendendus est stilus Curia. In dubio, 14. an beneficium vacaverit in mense Papæ, vel in mense Ordinarii, eò quòd v. g. beneficiatus ultimâ nocte reperitur in lecto mortuus, nec sciatur, ante vel post duodecimam ultimæ noctis discesserit, præsumendum esse pro Ordinario docent *van Espen Nicolarz. dub. 12. §. 7. Pyrhing nu. 354. leur.*

- Leur. quest. 562.* etiamsi Papa prævenierit, & provisus à Papa sit in possessione beneficii, nihilominus præferendum esse provisum ab Ordinario; quia Ordinarius habet intentionem fundatam in jure communi ad conferenda omnia sua Diœcesis beneficia non reservata, quo jure privari non debet, quamdiu non constat de reservatione, cujus probatio incumbit provisio Papali, & Papa intendit providere vi reservationis, que utpote odiosa in dubio non præsumitur. Adde quoque Pontifex §. 5. quòd menses Ordinariorum
15. *per quamcunque reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem nolit impedire; imò si intrà tres menses à die vacationis notæ in loco beneficii non apparuerit, quòd de beneficiis in mense Papali vacantibus alicui Apostolicâ autoritate provisum fuerit, jus conferendi*
16. *redit ad Ordinarium. Hoc trimestre currit etiam Sede vacante, & ita habere praxin testatur Wisner hic n. 118. Si Papa intrà trimestre beneficium quidem contulit, sed indigno, ex praxi*
17. *Germaniæ redit ad Ordinarium. Schmalzg. num. 322. si verò beneficium sit reservatum propter privationem, promotionem vel obitum in Curia, aut vicinia, tunc, si Pontifex intrà unum mensem à die vacationis de eo non disposuerit, ordinarii collatores de eo disponere poterunt per c. statutum 2. h. t. Chockier. van Espen. Nicolartz. dub. 11. §. 4. & hic mensis computatur non à die notitiæ, sed vacationis, ut habet clarus textus. Nec obstat, quòd Concordata hujus Canonis nullam mentionem faciant; nam etiam non corrigunt, & cum correctio juris sit odiosa, sine clara ratione asseri non debet, maximè in odium na-*

tionis Germanicæ, cui per Concordata Pontifex favere voluit.

3. Pontifex in Concordatis sibi reservat majores Dignitates post Pontificales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis Ecclesiis, quales sunt Præposituræ, vel si tales non habentur, Decanatus. *Nicolartus* §. 10 nisi ex speciali privilegio sint exemptæ, uti exemptæ sunt Præpositura Monasteriensis Westphaliæ, Præpositura Cathedralis Augustana, Elvacensis, item omnes Præposituræ urbis, & Diocesis Leodiensis; quia ex Indulto Eug. IV sunt electivæ, modò intra 30. dies à die vacationis fiat electio & intra 6. menses à S. Sede peratur confirmatio. *Branden. Nicolartus l. c. La Croix num. 507.* Econtra conceditur omnibus Germaniæ Ecclesiis Metropolitanis, & Monasteriis etiam Sedi Apostolicæ immediatè subjectis libera Prælati electio; Episcoporum tamen & Prælatorum immediatè subjectorum confirmatio reservatur; & si electio ob neglectam præsentationem intra tempus præscriptum, vel alium defectum Canonicum non fuerit confirmata, jus providendi Ecclesiæ ad Papam devolvitur.

4. Habent Concordata, ut de Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis virorum Sedi immediatè subjectis, si vacaverint, solvantur annatæ, hoc est, unius anni fructus; de aliis autem beneficiis ad provisionem Papalem spectantibus à tempore possessionis intra annum media fructuum pars; intellige, si redditus annui juxta taxam Cameræ valorem 24. florenorum in auro excedant, aliàs nihil solvitur; & ex hoc capite Canonicatus Germaniæ, & Hispaniæ annatas non solvunt, quia ex stilo curiæ non æstimantur supra valorem 24.

19.
Quæ-

ducatorum, etsi fortè reditus annui unius Canonici excurrant ad mille ducatos. *Pyrhing num. 364.*

20. 5. Dicit Pontifex hæc Concordata fore perpetua, & seîs sine consensu nationis Germanicæ, & extra generale Concilium nunquam velle derogare; imò nec derogare potest, nisi id fortè exigat gravis Ecclesiæ necessitas, vel communis utilitas. *Lotter Branden. Engel num. 54.* Ratio est, quòd hæc Concordata non sint mera gratia, sed vera pactio, & promissio utrimque acceptata, habens expressam clausulam de non revocando, cum onere ex parte Germanorum taxæ Camerae Apostolicæ, si voluerit, fideliter exsolvendi.
21. 6. Concordatis obligantur omnes Germani non verò Itali, aut alii, qui sunt tantùm de feudo Imperii, neque Ecclesia Metensis, Vindunensis, neque Belgæ; quia non sunt de Imperio, neque Concordata unquam acceptarunt exceptâ Ecclesiâ Nivellensi, Cameracensi, Lewensi, & Thenensi, quæ etiam nunc postquam ab Imperio sunt avulsæ, pristina privilegia retinent. *Wex. Nicolarts tit. 3. d. 1. §. 3. Leuren. quest. 591.*
22. 7. Concordatis per consuetudinem contrariam, vel præscriptionem derogari non posse, docent *DD. cit. Gonzal. Pyrhing num. 363.* quia id exigit publica tranquillitas, & consuetudo non potest derogare aliis reservationibus Apostolicis, ac constanter ita judicatur in Curia; nihilominus per præscriptionem immemoriam Concordatis derogari posse non minùs probabiliter docent *Zypaus. Wiestner hic num. 71. La Croix*

num. 20. quia ejusmodi consuetudo nullo jure expressè reprobatur; deinde ex privilegio Apostolico concessio Universitati Lovaniensi Sixtus IV. de facto derogavit Concordatis, ergo idem potest consuetudo immemorialis, quæ habet vim privilegii.

QUÆR. V. Quid circa beneficia Urbis Coloniensis? 23.

R. Pro Urbe Coloniensi habentur specialia concordata, vi quorum.

1. In Ecclesia Metropolitana, & in aliis undecim Collegiatis est una certa Præbenda, quæ dicitur *Prima Gratia*, hæc quocunque mense vacet, semper confertur ad Universitate, hoc est, à Rectore Magnifico & quatuor Provisoribus.

2. Est adhuc una certa Præbenda in singulis Collegiis, quæ semper confertur à Capitulo, in quocunque mense vacet, & hæc vocatur *Secunda Gratia*.

3. Papa nullos sibi Colonia reservavit menses, sed suos transtulit partim in Archi-Episcopum, partim in Universitatem, ita ut Episcopus habeat *Januarium, Majum & Septembrim*, Universitas verò *Martium, Julium & Novembrim*, in quibus Canonicatus, & Vicarias per mortem vacantes conferunt Rector Magnificus, quatuor Provisores, & quatuor Decani, & hæ Præbendæ dicuntur *Tertia gratia*; alii sex menses, scilicet *Februarius, Aprilis, Junius, Augustus, October, December*, alioquin ad Episcopum spectantes Colonia competunt Capitulis. Quoad Præbendas primæ, & tertiæ gratiæ specialiter est notandum, quòd conferri non

pos-

possint, nisi Magistris artium & Indultum conferendi Præbendas tertiæ gratiæ debet confirmari à singulis Pontificibus, & quandoque confirmatur tantùm ad aliquot annos, potestas autem conferendi Præbendam primæ & secundæ gratiæ est perpetua.

24. QUÆR. VI. Quid circa primarias Præces, ut vocant ?

R. Imò Romano Imperatori recenter electo à Papa antiquitùs concessum fuit privilegium, nominandi in qualibet Ecclesia Romani Imperii semel personam idoneam ad beneficium vacans, vel proximè vacaturum, quæ nominatio à Cæsare facta primæ seu Primariæ preces vocantur, eo quòd ordinarius collator personæ à Cæsare nominatæ præ omnibus aliis beneficium conferre, & ad possessionem intromittere teneatur; hinc patet penès Cæsarem non esse jus conferendi, sed tantùm nominandi; nam jus conferendi retinet Ordinarius, cum obligatione tamen præferendi nominatum à Cæsare, qui si id renuat, habet Cæsar privilegium eligendi personas in Ecclesiastica dignitate constitutas Precum suarum executores, qui authoritate Apostolicâ Episcopos, & quosvis electores etiam per censuras Ecclesiasticas cogere possint ad recipiendas Preces, vel si eas omnino admittere nolint, aut beneficia sint Papæ reservata, tunc ipsimet executores Cæsarei authoritate Apostolicâ ea Præcistæ conferre poterunt. *Wex. Chok. fol. 28. Eng. nu. 71.* extenduntur autem preces ad totum Imperium Romanum prout nunc est, non autem prout fuit; nisi cum reservatione hujus juris dominia translata sint: neque Preces extenduntur ad Imperii feuda. *Chok. wiesl. num. 157.*

2. Habent Preces hunc effectum, ut benefici- 26.
um, pro quo interponuntur, reddant affectum,
ita, ut si collator ordinarius illud alteri, quàm
Precistæ etiam ex ignorantia contulerit, collatio
sit invalida. *Chok. lect. 4. de primis precibus*
Schmalzg. n. 330.

3. Preces, ut patet ex earum formulâ, 27.
quam exhibet *Pyrh. num. 367.* non obstantibus
Concordatis Germaniæ locum habent in omni-
bus beneficiis vacantibus; sive in mente Ordina-
rii, sive Papali, sive sint beneficia curata, sive
non curata, item resignata simpliciter in manus
Ordinarii *Chok. Wagner. f. 488. Leur. q. 607.*
imò in Indulto exprimuntur etiam beneficia regu-
laria, attamen quodam hæc Cæsar non utitur suo
privilegio.

4. à Precibus excipiuntur beneficia reservata 28.
per Extrav. ad regimen, hoc est, vacantia apud
Sedem, & in Curia per mortem, privationem,
resignationem &c. autoritate Pontificiâ factam
&c. Item omnes Dignitates Episcopales, & in
Ecclesiis Cathedralibus prima Dignitas post Epis-
copatum; Item Dignitates primæ in Ecclesiis Col-
legiatis, & Prælaturæ regularium, beneficia li-
tigiosa, quia generatim gratiæ expectativæ non
cadunt super beneficia litigiosa, ut à Rotâ deci-
sum testatur *Wagn. §. 2. Chock. f. 77.* beneficia
resignata ex causa permutationis coram Ordina-
rio, vel in favorem tertii; quia hæc non censentur
vacare, nisi ad effectum, ut conferantur iis,
qui permutationem fecerunt, vel in quorum fa-
vorem dimissa sunt. *Chock. f. 74. Wiest. nu. 163.*

H

Item

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. III. °

Item excipiuntur beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta, ut expressè habet Indultum; erecta post concessas Preces, manualia mensæ Episcopi, vel Abbatis incorporata, Commendata, Vicariæ temporales &c. DD. CC. denique omnia beneficia spectantia ad jus Patronatûs laicale, vel mixtum, cui Pontifex nunquam intendit derogare. *Chock. Engel num. 71.* & ut Preces locum habeant, debet collator ad minus quatuor beneficia conferre posse, debetque quilibet collator tantum semel à Cæsare gravari. *Wex. Wagner, l. 6. Pyrb. n. 376.*

29. 5. Si res adhuc sit integra, idest, si Precista nondum imploravit officium collatoris, Cæsar adhuc variare, & alium nominare potest; idem à potiori tenet, si nominatus obierit, uxorem duxerit, vel aliter Precibus renunciaverit; quia Preces nondum fuerunt sortitæ effectum, DD. CC.

30. 6. Potest Cæsar pro unâ eadèmq; personâ apud plures Collatores Preces interponere, non ut à singulis Collatoribus Precista beneficium obtineat, sed ut eò certius accipiat; idque tenet, etiamsi Precista modò in eadèmq; Ecclesiâ unum beneficium habeat, dummodo secundum cum primo non sit impossibile, ut Canonatus & Dignitas, aut Canonatus & beneficium curatum; si compatible sint, utrumque absque dispensatione retinere potest; quia Preces etiam ad pluralitatem se extendunt. *Leuren. q. 620. Dixi, in eadem Ecclesiâ;* nam si Precista in diversis Ecclesiis etiam duo, vel tria qualiacunque beneficia habeat, nihilominus ei beneficium, ad quod à Cæsare nominatus est, con-

ferri debet, nec tenetur priorum beneficiorum mentionem facere. *Chok. f. 74. Pyrhing. nu. 382.*

7. Precista debet intrà mensem, postquam ipsi vacatio beneficii innotuit, Preces collatori insinuare, & beneficium per se, vel alium acceptare, aliàs amittit suum jus; si tamen res post mensem adhuc sit integra, acceptationi per negligentiam omissæ adhuc locus erit propter clausulam Indulto additam, §. *fin. Wagn. Schmalzgruber à num. 354. Reiff. num. 591.*

8. Preces à Precistâ acceptatæ non expi- rant morte Cæsaris, etsi nondum secuta sit collatio, sicut morte patroni non expirat præsentatio, aut aliæ gratiæ jam concessæ. *C. si super 9. de off del. in 6. Wex. La Croix num. 573.*



H 2

CA-

C A S U S LXXXV.

De Surrogandis Collitigantibus
de annali & triennali posses-
sione, & aliis ad benefi-
cium litigiosum perti-
nentibus.

KRamerius optat surrogari in beneficium Crusii
dubitat an possit, 1. Quia Crusius ultra men-
sem est mortuus, & beneficium collatum alteri, &
Kramerius non est presentatus à vero patrono. 2.
Movit Crusio litem spe surrogationis, & beneficium
est de patronatu Laico, & lis fuit super solâ posses-
sione. 3. Beneficium est affectum, & surrogatio pe-
titur ab Ordinario. 4. Crusius fuit in annali posses-
sione, sed inhabilis sine titulo & bonâ fide. 5. Quid
si triennio possederit, sed beneficium sit reser-
vatum, regulare &c. 6. Quid si fuerit non tor-
suratus, bigamus, hareticus, excommunicatus,
irregularis, carens requisitâ etate, ordine, gra-
du, aut retineat beneficia incompatibilia, vel
neglexerit publicare resignationem. 7. Quid
fuerit in malâ fide, vel ignorantia juris clari.
8. Quid si possessio non fuerit pacifica. 9. Quid
si sit simoniacè ingressus, vel intrusus. 10. An
triennalis possessio non tantum possessorium, sed &
petitorium excludat, & in conscientia absque
dispensatione securum reddat. 11. Quomodo sol-
vantur opposita. 12. Quid circa revalidationem
tituli.

Ad amputandas lites circa beneficia, Papa in Regulis Cancellariæ varias, & salubres fecit ordinationes, circa quas

QUÆR. I. Quid de Regula 29na de Surrogandis Collitigantibus?

n. Hæc statuit, ut si duo super beneficio litigent, & alter à lite per mortem, Matrimonium, vel professionem religiosam recesserit, tunc alter habeat mensem unum à die notitiæ, intrâ quem possit petere surrogationem, seu substitutionem in jure, vel ad jus, quod alter habebat, & intrâ hunc mensem non valet gratia, vel concessio beneficii litigiosi alteri facta, quàm collitiganti, modò petens surrogationem non fuerit in dicto beneficio intrusus, seu occupârit beneficium propriâ autoritate sine titulo ejus, qui potest providere, neque fraudulenter egerit impetrando beneficium senis, vel periculosè ægrotantis, eique litem movendo spe consequendæ surrogationis, neque adversarius illud per triennium possederit. De cætero surrogationem locum habere etiam in beneficiis, quæ sunt juris Patronatûs Laici, docet de Luca. Leuren. p. 2. q. 667. n. 1. debet tamen lis fuisse non solâ possessione, sed principaliter super proprietate beneficii Chock. Lotter. Rosa c. 17. à nu. 71. & quamvis durante lite beneficium litigiosum utpote affectum à nullo nisi Papâ concedi possit, per c. 1. & 2. ut lite pendente in 6. clem. 1. eod. attamen uno litigante mortuo, alter superstes, & non alius surrogari poterit ab ordinario Collatore, vel præsentari, eò quòd cesset ratio prohibitionis; quia ita surrogando non datur novus adversarius, nec occasio nova litis. Parisius Garc. p. 5. c. 9. a n. 220.

H 3

QUÆR.

4. QUÆR. II. Quid de Regulâ ; 5tâ. de *annali possessore* ? R. Hæc ordinat, ut quicumque beneficium ab alio per annum pacificè possessum, certo modo vacare prætenderit, & impetrârit, debeat specificè ; & clarè probare, possessori nullum jus in beneficium competere, eumque intra sex menses ad iudicium evocare, causamque ex tunc intra annum usque ad sententiam definitivam prosecui ; alioquin impetratio prædicta, & quæcunque inde secuta nullius erunt firmitatis, & impetrans de damnis, & interesse possessoris tenebitur ; hæc regula tuetur quemcunque pacificum unius anni possessorem, etiâ aliâs inhabilem, & de jure privatum, intrusum, carentem bonâ fide & omni titulo, item possessorem nondum percipientem fructus. *Leuren. q. 232. § 42.* præcipuè tamen regula locum habet in Curia Romana, & apud Legatos Pontificios, non item in aliis Curii. *Chock, ad hanc reg. num. 55.*

5. QUÆR. III. Quid de Regula 36. de *triennali possessione* ? R. Hæc regula est plurimum notabilis, in quâ statuitur, ut omnis, qui quæcunque beneficia ex quovis titulo, sive Collationis, electionis, præsentationis &c. per triennium pacificè possedit, modò in illa non sit intrusus, aut simoniacè ingressus, *Super beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes de beneficiis sic possessis factas irritas esse decernitur, lites super illis motas penitus extinguendo.* Explicatur Regula.

Dicitur 1. Beneficia quæcunque etiâ reservata Pontifici, nisi reservata sint propter obitum in Curia, vel reservatio tollat omnem colorem tituli, aut capacitatem possidendi, *Gomez., de Lm-*

De Surrog. Collitig. annali, triennali &c. 119
ca de benef. d. 91. num. 8. hæc Regula etiam tenet,
si sæcularis possideat beneficium regulare, vel
econtrà, ita ut post triennium pacificæ possessio-
nis molestari non possit; nam licèt requirantur
quadraginta anni, ut beneficium regulare fiat sæ-
culare, vel econtrà, ad hoc tamen, ut benefi-
cium possessori censeatur acquisitum, sufficiunt tres
anni, qui etiam sufficiunt ad præscribendos
fructus.

Dicitur 2. Omnis, qui possedit, quia qui non 6.
possunt beneficia Ecclesiastica possidere, velut La-
ici, non tonsurati, conjugati, bigami & hære-
tici *c. si adversus te hæret.* etiam triennali præ-
scriptione gaudere non possunt sine possessio-
ne enim non currit præscriptio; econtrà alii
omnes, qui ob pœnam, censuram, irregulari-
tatem, vel aliter, excepto intruso, & Simonia-
co, beneficiis ipso jure sunt privati, eò quòd v.
g. ætatem, gradum, vel ordinem ad beneficia
requisitum non habuerint, beneficia etiam in-
compossibilia retinuerint, resignationem debi-
tè publicari intermiserint &c. juvantur hæc re-
gulâ, ita, ut post triennium molestari non pos-
sint; *Ratio* est, quia hæc pœnæ quamvis dicantur
ipso jure infligi, tamen cum ad suâ executio-
nem requirant factum hominis, scilicet cog-
nitionis causæ ex parte judicis, & dimissionem
beneficii ex parte possessoris, non obligant in con-
scientiâ ante sententiam declaratoriam, ut cum
communi docet *Covar. Laym. lib. 1. tr. 4. c.*
15. num. 6. ergo si adsit capacitas possidendi,
& titulus saltem coloratus, poterit beneficium
bonâ conscientia retineri, adeoque & per tri-
ennium vi hujus regulæ præscribi; titulus au-
tem coloratus est collatio vel institutio ab Ordina-

7. rio facta, sed ob defectum aliquem nulla. *Si dic- cas*, qui ipso jure est beneficio privatus, est in malâ fide, vel saltem in errore juris clari, & notorii; sed mala fides, aut ignorantia juris clari non prodest ad præscriptionem. *¶* Est in mala fide, hoc est, habet vel saltem habere potest notitiam pœnæ à jure sibi decretæ, *Tr.* est in mala fide, id est, continuat possessionem malâ conscientia, quod propriè significat esse in mala fide *N.*

8. *Dicitur 3.* Omnis qui possidet pacificè, ille autem pacificè possidet, cui lis super beneficio mota non fuit, ita quidem, ut, si Cajus possessori intra triennium litem moverit, non verò Titius, præscriptum sit contra Titium, non verò contra Cajum; quia respectu Titii pacificè possedit, non verò respectu Caji.

9. *Dicitur 4.* dummodò intrusus non sit vel simoniacè ingressus, & quamvis communiter dicatur intrusus, qui occupat beneficium sine titulo Canonico, hoc est, sine institutione, collatione, aut confirmatione, tamen, ut quis non gaudeat effectu triennalis possessionis, solùm hic nomine intrusi venit, qui ab alio, quàm Papa acceptat, & ingreditur beneficium vacans in Curia, aut qui cujuscunque beneficii, vel dignitatis à Papâ impetrandæ administrationem suscipit ante obtentam confirmationem, vel ad solam signatam à Papâ supplicam nondum expeditis litteris, *Leuren. q. 862.* & licèt ex communi DD, teste *Pariso lib. 10. q. 1. num. 20.* gratia dicatur perfecta per solam signaturam, quâ Papa supplicationi sibi factæ subscribit per verbum *fiat, ut peritur*, tamen adhuc ista gratia est informis, & quasi conditionata, antequam ordinaria collationis

De Surrog. Collig. annali, triennali &c. 121
nis Bulla de super expediatur. *Arg. regul. 27. Cancell.* ideoque qui ante expeditas litteras se in beneficium ingerit, amittit omne jus præhabitum, venitque hinc nomine intrusi. Dicitur verò simoniace ingressus, qui sciens à se, vel alio in ademptione beneficii commissam esse simoniam realem, & completam, beneficium illud ingreditur; e contra si à tertio, ipso ignorante, simonia commissaf sit, à triennali præscriptione propterea non excluditur. *Leur. Rebuff. Garc. p. 8. c. 1. n. 15 Leur. q. 873.*

Dicitur 5. Super iisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, lites super illis motas penitus extinguendo; circa quam clausulam magna est inter *DD.* disceptatio, an scilicet *triennalis* possessio non tantum excludat omnem litem super possessorio, ut fatentur omnes, sed etiam super petitorio, ita, ut probatâ post triennium nullitate tituli beneficio privari non debeat, sed possit illud tutâ conscientiam sine dispensatione retinere, in quo dubio iudico *triennalem* etiam valere pro petitorio, modò adsit capacitas personæ ad possidendum, bona fides, & justus titulus coloratus. *Rebuff. Navarr. Engel. Laym. l. 4. t. 2. c. 15. num. 4. Pyrth. l. 2. t. 26. num. 115. Ratio est*

1. Quia id videtur habere clarus textus *Regulæ, lites super illis motas penitus extinguendo*, quomodo autem lites dicentur penitus extinguui, si maneant quodam principale punctum scilicet petitorium;
2. Triennalis possessio non tantum facit præsumptionem tituli, sed revera illum confert, quemadmodum præscriptio confert dominium rei præscriptæ; si enim triennalis possessor non consequeretur titulum, ejus beneficium semper de jure vacaret, nec esset ratio, cur ab

H 5

alio

alio validè impetrari non posset, cum tamen Regula dicat impetrationes de beneficiis sic possessis factas irritas esse, &, si bona Ecclesiastica tempore à jure requisito præscribantur, cur non beneficia?

- II. *Dices* : Regula tantùm prohibet per litteras molestari triennem possessorem, cum hoc autem stat, quòd possessor post triennium cognoscens nullitatem sui tituli, teneatur beneficium dimittere, vel dispensationem petere. 2. Titulus non potest aliter acquiri quàm per institutionem Canonicam. *Reg. 1. juris in 6.* 3. Ordinarius Superior ex communi sententia etiam à triennali possessore potest exigere titulum, & desuper inquirere; ergo signum est, quòd triennalis possessio per modum præscriptionis non conferat titulum; frustra enim inquireretur in hoc, quod jam per triennem possessionem scitur esse collatum, sicut post completam præscriptionem domus, frustra à iudice inquireretur in titulum domini domus &c. *ix. Ad 1.* hoc ipso quòd Pontifex prohibeat molestari possessorem triennem, dat ei jus ad retinendum beneficium, & percipiendos fructus; quod jus est sufficiens titulus. *Ad 2.* triennalis præscriptio habet vim institutionis Canonice. *Ad 3.* sicut Iudex non obstante, quòd præscriptio transferat dominium, adhuc potest inquirere, an adsit titulus coloratus, bona fides, & similia ad præscriptionem communiter requisita; sic, quamvis triennalis possessio det titulum seu dominium beneficii, Superior adhuc inquirere poterit, an adsint omnia requisita ad hunc effectum, an scilicet sit bona fides, persona apta possidere, possessio pacifica, an non sit intru-

sus, simoniacus &c. quæ dicta sunt de possessione triennali, à potiori intelligenda sunt de decennali; nam hanc habere vim tituli docent omnes, nisi manifestè constaret de intrusione. *Paris. Luca de benef. d. 91. n. 15.* Quoad reva-^{12.}lidationem tituli tenenda sunt, quæ dixi *Cas. 78. num. 21.*

C A S U S LXXXVI.

In Tit. 9. lib. 1.

De Renuntiationibus, seu Resignationibus Beneficiorum.

MAlius Licentiandus interrogatur. 1. Quid sit Resignatio, & an valeat dolo, vel metu extorta. 2. Quid sit expressa, tacita. 3. Pura & conditionalis, & coram quo fieri possint. 4. An beneficia resignata dari possint consanguineis. 5. Aut aliis, quàm iis, in quorum favorem sunt resignata. 6. Quid si conditio sit intrinseca; aut sit simoniaca. 7. Vel cum reservatione pensionis. 8. Cum conditione regressus, accessus &c. 9. Ex causâ permutationis. 10. Quid de causâ resignationis. 11. An necessarius consensus Superioris, Patroni &c. 12. Quid circa regulam de viginti. 13. Quid de publicatione resignationis. 14. Quid si resignatio facta est in plures. 15. Qua beneficia resignari possint. 16. An etiam reservata. 17. Expectativa. 18. Litigiosa. 19. Concessa in Titulum Ordinationis. 20. Ob crimen vacantia ipso jure. 21. Aut beneficia

ficia Novitii, 22. An resignatio revocari possit, quid si revocatio procuratori non intinetur, vel principalis moriatur, 23. Cui post resignationem debeantur fructus, 24. Quando beneficium resignatum conferri debeat, quid si resignatarius moriatur, an resignans regredi possit.

Sicut beneficia diversis modis acquiruntur, sic & diversis amittuntur, veluti per mortem naturalem, per depositionem, per certa crimina, saltem post sententiam declaratoriam, aliisque causas, de quibus egimus sparsim suis locis; restat examinandum, qualiter beneficia dimittantur per renunciationem, vel resignationem. Itaque.

QUÆR, I. Quid, & quotuplex sit Resignatio?

I. R. 1. Resignatio est spontanea beneficii dimissio coram Superiore facta & acceptata: est *communis*. Dicitur spontanea, quia resignatio facta ex dolo, vel metu injusto, est irritanda, & resignans restituendus, per c. 3. & 4. de his que vi &c. imò si dolus sit circa substantiam, resignatio est ipso facto irrita defectu consensûs, Flam. l. 13. de resig. q. 3. Wiestn. hic n. 9.

2. R. 2. Dividitur Resignatio 1. in expressam & tacitam; *expressa* est, quæ fit verbis, aut scripturâ, voluntatem resignandi apertè significantibus; *tacita* est, quæ fit facto, dimissionem beneficii significante, vel ex dispositione juris importante; sic censetur renunciare beneficio, qui Religionem solenniter profitetur, c. benef. 4. de Reg. jur. in 6. qui in minoribus constitutus uxorem ducit, c. 1. & 3. de Clericis conjug. qui beneficium cum priore impossibile suscipit, qui militiam sequitur, qui Parochiam

chiam adeptus intrà annum Sacerdotium non suscipit, & generaliter, qui aliquid facit, propter quod ipso jure beneficium vacat, tacitè resignare censetur, ita, ut tunc statim alteri conferri possit. *Schmalzg. n. 2. h. t.*

2. Resignatio dividitur in puram & conditionalem; *3.*
3. pura est, quæ fit simpliciter absque omni pacto, restrictione aut conditione; econtrà *4.* *4.* *conditionalis* est, quæ fit sub certâ conditione, restrictione, aut pacto, qualis est 1. Quæ fit in favorem certæ personæ, ut illi, & non alteri beneficium resignatum conferatur; hæc resignatio, cum importet speciem hæreditariæ successionis, est in jure odiosa, & coram solo Papâ & non coram Ordinario fieri potest; nil tamen obstat, quominus resignatio simplex in manus Ordinarii, aut Episcopi fieri possit etiam cum recommendatione certæ personæ, ex quâ tamen Episcopus non obligatur beneficium dare personæ recommendatæ, sed potest sine injuriâ dare alteri. *Znes. Garc. p. 11. c. 3. n. 154.* imò ex Bullâ Pii V. *quanta Ecclesiæ*, beneficia resignata nec licitè, nec validè dari possunt consanguineis, affinibus, vel familiaribus resignantis, vel admittentis resignationem; sed hæc Bulla teste *Zypæo & Laym.* non est ubique recepta, esse tamen receptam in Diœcesi Colonienâ, Leodiensî & Mònastrîensî testatur *La Croix lib. 4. 1073.* in permutationibus verò, quæ fiunt apud Papam, non attenditur consanguinitas, neque hujus necessaria mentio faciendâ est. *Luca d. 40. n. 15.* quòd si resignans coram Ordinario addat clausulam: *quòd non aliter intendat resignare, quàm in favorem tertii, tunc Episcopus ejusmodi resignationem nec admittere, nec beneficium* *5.*
5. *casta-*

casta-

causatâ hac clausulâ alteri dare potest. *Ratio est,* quòd talis non simpliciter dimittat beneficium, sed sub conditione, & pacto, ut detur personæ à se nominatæ; cùm ergo Episcopus hanc conditionem implere non possit, jure id prohibente, etiam resignationem admittere, & beneficium alteri conferre non valet; imò ipse Papa, quamvis pro libitu admittere, vel rejicere possit resignationem factam in favorem, postquam tamen admisit, non potest beneficium alteri conferre, quàm in cujus favorem fuit resignatum, sicut non potest alteri conferre beneficia resignata cum animo permutandi; resignans enim non intendit jus suum aliter abdicare, nec debet invitus, & innocens privari suo jure. *Pirrh. à n. 78. h. t.* si tamen conditio sit intrinseca v.

6. g. resigno beneficium, ut in eo resideas, ut præhabitu impossibile, vel superfluum dimittas, ejusmodi conditionata resignatio etiam coram Ordinario fieri potest; quia non imponitur per conditionem appositam nova obligatio: econtrâ si resignem beneficium eâ conditione, ut tu hoc, vel aliud beneficium suo tempore in mei vel alterius favorem resignes, est simonia; & quamvis simoniaca resignatio sit ipso jure nulla, tamen tenet in præjudicium resignantis simoniacè, qui ideo amittit jus, nec conceditur ei regressus, sed beneficium tanquam vacans, à tertio impetrari potest; attamen simonia commissa ab uno, non potest nocere parti innocenti. *Lew. q. 754.*

7. 3. Fit resignatio conditionalis, quando resignans sibi certam pensionem, aut refusionem expensarum reservat, & hæc resignatio etiam coram solo Papâ fieri potest; tum quia ejusmo-

di reservatio simoniam sapit, & in effectu beneficium quasi pro fructibus permutat, tum quia beneficia conferri debent sine diminutione, seu novi oneris impositione. *Pirh. n. 8. Eng. n. 10. h. t.* ubi dicit, Episcopum ex justa causa v. g. ad finiendam litem resignanti pensionem constituere posse, si resignet simpliciter, & purè sine restrictione.

4. Est resignatio conditionalis, si fiat *sub conditione regressus, accessus, vel ingressus* ad beneficium, casu quo resignatarius non solvat pensionem tempore constituto, & quamvis Concilium Trid. *Sess. 25. c. 7. de refor.* abrogarit omnem accessum, & recessum in beneficia, atamen hoc non intelligi de hujusmodi regressu propter non solutam pensionem docet *Azor. Flam. de resig. l. 6. q. 5. n. 110.*

5. Fit resignatio conditionalis ex causa permutationis; Clerici permutare volentes debent
1. resignare sua Beneficia in manus Papæ, vel Episcopi; si tamen permutatio fiat inter plures, quàm duos, v. g. resigno tibi ut tu Titio, & ut Titius mihi &c. quæ resignatio dicitur triangularis, vel quadrangularis, hæc non coram Ordinario, sed necessariò coram Papa fieri debet. *Pirh. n. 82.*

QUÆR. II. Quæ conditiones requirantur, ut resignatio fiat legitimè? R. 1. Debet esse libera à metu, dolo, & simoniâ.

2. Requiritur justa causa resignandi saltem in beneficiis curatis, præcipuè Prælaturis, & Episcopatus; justa autem causa censetur defectus scientiæ, debilitas ex morbo, vel senectute, conscientia criminis, malitia plebis &c. in simplicibus beneficiis admittuntur resignationes sine
gra-

graviore aliqua causa ex libera voluntate resignantis factæ.

11. 3. Requiritur consensus Superioris, per Superiorem autem hic intelligitur, qui habet potestatem ordinariam beneficiatum à beneficio removendi, qualem non semper habent collatores; & præterea, si beneficium sit electivum, requiritur consensus omnium eligentium; si verò collativum, consensus collatoris; si Patronatum, consensus Patroni, sive Patronus sit Laicus, sive Clericus; quia horum interest, ne ipsis neglectis aliquis instituat in beneficium fortè ipsi infensus, aut inimicus. *Flam. lib. 2. q. 1. n. 1. § 4. Schmalzg. n. 7.* Resignatio in favorem, vel animo permutandi facta his invitis, & intra tempus ad præsentandum concessum contradicentibus, est ipso jure nulla. *Garc. c. 3. n. 19. § 21.* vel certè irritanda juxta *Chockier Pirh. sup. n. 13.* in renunciatione tamen simplici, & absoluta non videtur necessariò requiri consensus Patroni, cùm in hac nullum versetur præjudicium Patroni, cui salvum manet jus alium præsentandi in locum renunciantis. *Pirh. n. 86.*

12. 4. Ex Regula Cancellariæ, quæ dicitur *de viginti vel de infirmis resignantibus* requiritur, ut resignans (sive sanus sive infirmus, ut docet *communis*) post præstitum coram Superiore consensum vivat p. 20. dies, intra quos si moriatur, beneficium non per resignationem, sed per mortem vacat, ejusque collatio ad Ordinarium spectat, idèdque, si mors incidat in mensem Episcopi, vel Capituli, ad Episcopum vel Capitulum spectabit collatio, non verò ad Papam; *Nec obstat*; quòd ejusmodi beneficium videatur affectum propter appositionem manûs Papalis, nam hæc

affectum

affectio non causat hic reservationem, eò quòd Pontifex per hanc regulam velit conservare jus Ordinarii, ideòque apertè dicit hujusmodi beneficium non per resignationem, sed per obitum vacare, & collationem aliter factam quancunque auctoritate esse nullam. *Parisius l. c. Garc. p. 5. c. 1. n. 160.* dixi post præstitum consensum coram Superiore; nam ex stilo Curia Rom. resignans porrigit supplicam, quæ si placeat S. Pontifici, signatur, seu subscribitur ab eo: *fiat ut petitur*; insuper post signatam à Papa supplicam, debet resignans in Camera vel Cancellaria per se, vel per procuratorem iterum in resignationem expressè consentire, & jurare, quòd omnia fideliter acta fuerint, seu quòd non intervenerit fraus, vis, metus, simonia &c. itaque non à die porrectæ, vel signatæ supplicæ, sed à die præstiti in Camera consensûs dicti 20. dies numerari debent; & quia ante hunc consensum resignatio necdum est perfecta, ideòque adhuc res integra, resignans adhuc poterit pœnitere; aliud est in resignatione; quæ fit apud Ordinarium, quâ semel à Superiore admittâ non est pœnitentiæ locus. *c. 5. 6. § 12. h. t.* sed expectari debent à die admittæ à Superiore resignationis 20. dies, intrâ quos si resignans moriatur, beneficium non per resignationem, sed per mortem vacat. *Flam. Pirh. num. 34. § num. 112.*

5. Provisus de beneficio resignato debet ex 13. eadem regula facere resignationem publicari præsentem populo in Ecclesiâ beneficii, & Cathedralis, & quidem, si resignatio sit facta Romæ,

I

mæ,

mæ, & beneficium sit in Italiâ, intrâ sex menses à die supplicationis oblatae; si extrâ Italiâ intrâ novem menses, resignatio verò facta extrâ Curiam apud Ordinarium intrâ tres menses publicanda erit; alioquin si contingat resignantem mori, antequam resignatarius ceperit possessionem, beneficium censetur vacare per obitum, & collatio facta resolvetur. *Azor. Flam. l. 11. q. 3. Schmalzg. n. 4.*

14. 6. Si quis resignet in favorem plurium, sola resignatio pro primo est valida, licet posterior esset sub priore data, uti habet *reg. 40. Cancell. & secundus est intrusus, idèdque juxta plures non præscribit, etiamsi per triennium possideat, sed V. Cas. 85. à n. 5. præmissa tenent, etiamsi pro primo resignasset per procuratorem, aut apud Ordinarium, pro secundo autem per seipsum apud Papam; si tamen prima resignatio non fuisset admessa, aut revocata ante præstitum in Camerâ vel Cancellariâ consensum, valeret secunda. Rebuff. *Leur. p. 3. q. 263.**

15. QUÆR. III. Quæ beneficia resignari possint? R. Imò. Omnia cujuscunque generis, etiam nondum possessa, nisi specialiter à jure resignari prohibeantur; hinc resignari potest Papatu, Patriarchatus purè non in favorem, Episcopatus etiam in favorem; item resignari possunt Dignitates electivæ, Abbatia, Prioratus, Parochia, sed ordinariè tantum post tres, vel quatuor annos; item Vicariæ perpetuæ, præstimoniam data in titulum, beneficia patrimonialia, Patronata, pensiones non in tertium, sed tantum in beneficiatum, nisi accedat Superioris licentia. *Pirh. n. 17. manualia cum expressione tamen manualitatis, aliàs resignatio est nulla etiam facta coram Papâ. Leur. q. 280.*

2. Beneficia Papæ reservata, etsi apud Ordinarium possint resignari purè, non tamen in favorem, vel animo permutandi, sed taliter resignari debent apud Papam, qui & solus de iis providere potest; de his ab Episcopo provivus est intrusus, nec titulum, nec possessionem acquirit. *Felin. Garc. Leur. q. 297.*

3. Illa, super, quibus data est expectativa, resignari non possunt, nisi coram Papâ de hoc admonito. *Clem. 1. de renunc. Ratio est, quòd aliàs fiat præjudicium expectanti, ideòque si ejusmodi resignatio fiat coram Ordinario, hoc ipso beneficium vacat & subintrat expectans, Rota Flam.*

4. Habens tantùm jus ad rem, veluti electus nondum confirmatus, potest quidem jus suum dimittere, sed non propriè resignare; quia nondum est beneficii Dominus.

5. Beneficium litigiosum coram Ordinario dimitti potest, non verò ab Ordinario conferri, nisi surrogando collitigantem; quia est affectum & reservatum Papæ *c. 1. & 2. lite pend.* coram Papâ si fiat resignatio debet fieri narratio litis, aliàs est invalida, nisi resignatio fuerit facta ante motam litem; tunc enim resignatario possunt expediri litteræ, & capi possessio pendente lite. *Azor Imola Leur. q. 308. num. 5.*

6. Voluntariè non potest resignari beneficium, super quo quis ad ordines majores est ordinatus, nequidem apud Papam, nisi hæc duo narrentur; quòd scilicet super hoc beneficio sit ordinatus, & aliunde habeat unde vivat, aliàs resignatio est irrita, *Trid. Sess. 21. c. 2. de refor. dixi, voluntariè*, nam si resignatio, aut

privatio inducatur à jure v. g. ob consecutionem beneficii impossibilis cum præhabito valida est, nec opus est ista narrari; quia tamen secundum beneficium tunc succedit in locum primi tituli, nec hoc resignari poterit, nisi dicta duo narrentur *Chock. Garc. p. 2. c. 5.* præfata tenent etiam de titulo patrimonii, super quo quis ordinatus fuit,

20. 7. Ob delictum, vel aliter ipso jure privatus beneficio, non potest resignare; nam quamvis ex dictis ante sententiam non teneatur seipsum exequi, & beneficium dimittere, quia tamen à tempore commissi criminis amisit omne jus, & beneficium ipso jure vacavit, per resignationem non potest impedire, quominus collator alteri beneficium liberè conferre queat. *Felin. Flam. l. 3. q. 1. à n. 20.* si verò criminofus non sit ipso jure beneficio privatus, sed solùm privandus, ante sententiam adhuc resignare poterit, quia retinet jus in beneficium. *Flam. quæst. 16. Schmalzg. n. 10.*

21. 8. An Novitius ante ultimos duos menses validè possit resignare beneficium, non convenit inter DD. hoc certum est ejusmodi renunciationem non habere effectum, nec vi hujus beneficium alteri conferri posse, nisi subsequatâ professione, ne tollatur Novitio libertas regrediendi ad sæculum. *Pirh. n. 25. Wiest. nu. 36.* colligitur ex *Trid. Sess. 25. c. 16. de reg.*

QUÆR. IV. Qui sint effectus resignationis?
R. Præcipuè sunt seqq.

22. 1. Resignatione legitimè facta non est amplius locus pœnitentiæ, prout explicatum est sup. sed resignans etiam invitus compelli potest ad dimittendam beneficii possessionem; si re-

fig-

signatio fiat per procuratorem, potest quidem resignans re integrâ pœnitere, & mandatum revocare, sed revocatio debet procuratori, vel parti adversæ, vel Superiori fuisse intimata; aliàs procurator validè procedet ad resignationem, licèt in ejus absentia mandatum revocatum fuerit. *Clem. un. h. t.* quamvis contrarium obtineat in matrimonio, ad quod contrahendum missus procurator; etiam in absentia & inscius revocari potest ob favorem libertatis matrimonialis *c. fin. de procur. in 6.* in aliis autem contractibus id ita se non habet. *L. si pracedente s 8. ff. mandati.* econtra morte principalis revocatur mandatum re adhuc integrâ, etiam si mors procuratori non innotescat, ideoque, si procurator in vim mandati perrexerit, & à Superiore beneficium vigore resignationis alicui obtinuerit, totus actus erit nullus, & beneficium vacat per mortem. *Ratio est,* quòd beneficium mortuo principali cesset esse in ejus, vel hæredum potestate, ergo ejus nomine per procuratorem renunciari non potest; econtra si principalis vivat, sed ejus revocatio non intimetur procuratori, beneficium adhuc manet in principalis potestate; ergo nihil obest, quin à procuratore jure sic permittente in *Clem. fin. h. t.* nomine principalis resignari possit. *Flam. l. 9. c. 24. n. 14.*

2. Post admissam, & perfectam resignationem resignans non potest amplius beneficii fructus percipere, cum per renunciationem titulum beneficii amiserit, sine quo beneficium justè possideri non potest, per consequens nec fructus percipi; fructus tamen industriales, & naturales a solo separati usq; ad diem admissæ re-

signationis debentur resignanti, etiam si prædium frugifera essent locata, & dies solutionis nondum advenisset, sufficit enim fructus à solo esse separatos; fructus verò naturales pendentes, quia censentur pars fundi, uti & fructus civiles v. g. Pensiones ex censu vel locatione ædium provenientes, quorum dies solutionis tempore acceptatæ resignationis nondum advenerat, debentur successori. *Eng. nu. 16.* intellige, si consuetudo non sit contraria, aut resignans fructus etiam civilis sibi reservavit. *La Croix l. 4. n. 962.*

24. 3. Post admissam à Superiore resignationem debet beneficium resignatum conferri juxta *Paris.* intrà mensem, juxta alios intrà sex menses, si beneficium resignatario cum effectu collatum fuit, resignans non poterit sine novâ collatione ad illud redire, etiam si resignatarius ante sumptam possessionem moriatur, quia prior titulus fuit extinctus; si verò resignatio non habuerit effectum ob non impletas condiciones, potest resignans sine novâ provisione ad beneficium redire, quia jus nondum fuit amissum. *Schmalzg.*

num. 50.



CASUS LXXXVII.

In Tit. 4. l. 3.

De Residentia Clericorum.

L Abano Clerico varia proponuntur questiones. 1. Quid sit Residentia. 2. Sub quâ poenâ residere teneantur Episcopi. 3. Abbates. 4. Parochi. 5. Quid hic valeat consuetudo. 6. Licentia præsumpta. 7. Aut concessa ab Episcopo causa studiorum. 8. Quo loco residendum. 9. Quid si Parochus exerceat curam per alios. 10. An beneficium simplex obliget ad Residentiam. 11. Quæ sint causæ à Residentia excusantes. 12. An absentium portio accrescat presentibus, an fructus lucrentur, qui Choro intersunt, sed non cantant. 13. Aut sunt in Religione Novitii. Pro resol.

QUÆR. I. Quid sit residere? R. Residere nihil aliud est, quàm in loco beneficii permanere, eique personaliter deservire: Residentia verò est duplex, vera & ficta; vera est, quâ quis corporaliter præsens per seipsum beneficii sui functiones exequitur; ficta est, quâ quis corporaliter quidem absens, fictione tamen juris, & in ordine ad fructus, & præsentias percipiendas habetur tanquam præsens vel interessens. Pirh. n. 1. h. t. Beneficium verò aliud est simplex sine adjecta animarum cura; aliud curatum, cui annexa est cura animarum, ut Episcopatus,

Prælati, Pastores &c. Certum est de jure omnes beneficiarios, tam simplices, quam curatos ad Residentiam obligari, & quidem simplices ex solo jure Ecclesiastico, curatos verò ad Residentiam ipsam secundum se, & in genere ex jure divino, ut claret ex *Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. de refor.* dico: ad Residentiam secundum se, nam quod Episcopi, Pastores &c. si ex justa causa abesse velint, sub certis pœnis debeant petere, & in scriptis obtinere licentiam, id utique ex solo jure Ecclesiastico provenit.

2. QUÆR. II. Quid circa Residentiam Episcoporum? *By. Trid. Sess. 6. c. 1. Sess. 23. c. 1. de refor.* circa Residentiam Episcoporum, Archiepiscoporum statuit sequentia.

1. Episcopi sine graviore, ex æqua tamen causa, duobus vel tribus ad summum mensibus, computatis omnibus partialibus absentibus, idque sine detrimento sui gregis, quod eorum conscientie relinquitur, singulis annis à suis Ecclesiis abesse possunt, modò in festis sollemnioribus scilicet Adventûs, Quadragesimæ, Nativitatis, Paschatis, Pentecostes & Corporis Christi sint præsentis.

2. Si diutiùs abesse velint præter graviorem causam v. g. Christianæ charitatis, vel urgentis reipublicæ necessitatis, requiritur licentia Papæ, Metropolitanæ, aut senioris Suffraganei in scriptis obtenta; quâ tamen licentia opus non est, si periculum appareat in mora, aut si causa absentie sit notoria, ut dum Episcopus, qui simul est Princeps Imperii, ad comitia comparere debet.

3. Episcopi, qui ultra tres menses sine licentia vel rationabili causa absunt, præter reatum peccati

eati mortalis fructus sui Episcopatus pro ratâ absentia non faciunt suos; sed in conscientia ante omnem sententiam eosdem ad fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes erogare debent; non enim eos tam ex pœna amittunt, quàm deficiente causâ non acquirunt. *Barb. Covar. Leur. p. 1. q. 389.*

4. Quamvis Trid. de Abbatibus specialem mentionem non fecerit, dubitandum tamen non est, 3. ut ait *Eng. n. 5. h. 1.* quin veniant nomine curatorum Episcopo inferiorum, quibus omnibus *Trid. l. c.* residentiam seriò præcipit, ita, ut sine justa causa ultra duos, vel tres menses à sua Ecclesia absentes peccent mortaliter. *Schmatzgr. nu. 39. h. 1.* pœna tamen circa amissionem fructuum locum non habet in Regularibus; quia ob votum paupertatis nihil habent proprii, & ex culpâ Abbatis non debet damnificari Monasterium. *c. delictum 76. de reg. jur. in 6.* quanto autem tempore Abbates sine licentia abesse possint, præcipuè ex consuetudine, & timoratorum praxi metiendum erit, quæ certò sine rationabili causa diutiùs abesse non permittit.

QUÆR. III. Quid circa residentiam Parochorum, aliorumque curatorum Episcopo inferiorum? *R. Cit. Trid. sess. 23. c. 1. §. eadem omnino,* circa hos statuit, ut *quandocunque eos causâ priùs per Episcopum cognitâ, & probatâ abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debitâ mercedis assignatione relinquunt, discendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra trimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant:* ubi pœnas Episcoporum in tantum ad Parochos extendit, ut *& ipsi præter peccati mortalis reatum pro ratâ temporis absentia fructus suos non faciant, nec tutâ conscientiâ, aliâ declaratione*

etiam non secutâ, illa sibi retinere possint, sed teneantur fabrica Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare &c. Quòd si major fuerit contumacia, liberum erit Episcopo per censuras, aut subtractionem fructuum, etiam usque ad privationem beneficii procedere. Quòd ad hanc constitutionem in praxi tenenda sunt seqq.

1. Quamvis *Trid.* Episcopis, & aliis Canonicis concedat trimestre, quo singulis annis non petita licentiâ abesse possint, id tamen non extendit ad Parochos, qui semper indigent licentiâ Episcopi, & ita declarasse *S. Congregationem*, ex *Garc.* tradit *Eng. n. 10. Schmalzg. n. 18.* non tamen peccat mortaliter Parochus, qui sine licentiâ Episcopi ex justa causa (qualis juxta *Garc.* est honesta recreatio, & amicorum visitatio) per trimestre abest, minus tenebitur ad restitutionem fructuum pro rata absentiae; tum quia hæc absentia juxta *Navar. Bonac. &c.* videtur modica, tum quia ex sententia istorum Doctorum est probabile pro absentia duorum mensium Parochum nunc non indigere licentiâ Episcopi, modò nullum inde oriatur damnum animarum, & ita habet consuetudo, ut modico tempore absq; omni licentiâ Episcopi abesse possint, constituto tamen semper Vicario idoneo. *Reiff. hic n. 78.*

2. Quamvis nullâ consuetudine nequidem immemoriali induci possit, ut curator animarum nec per se nec per alium in loco beneficii, vel in vicinia resideat, eò quòd hoc sit contra jus divinum, & ejusmodi consuetudo ob periculum animarum foret irrationabilis, ut habet communis, nihilominus per consuetudinem saltem immemorialem ex justa causa induci posset, ut rector animarum non per se, sed per Vicarium perpetuum, vel

vel temporalem ad nutum revocabilem æquè idoneum resideat, ita contra *Eng. aliòsque Pignat. Laym. Pyr. h. à n. 13. Leur. q. 368.* Ratio est, quòd populus tunc nullum patiatur damnun spirituale, & consuetudo immemorialis æquivalet privilegio, ita, ut, quidquid induci potest privilegio, etiam possit consuetudine immemoriali. *c. sup. quibusdam 26. §. præterea de V. S.* at per privilegium Papæ induci potest, & de facto multis in locis inductum est, ut Rector principalis non per se, sed per Vicarium perpetuum, aut temporalem curam animarum exerceat, ergo. *Si dicas:* ejusmodi consuetudo est contra jus divinum & à *Trid.* dicitur corruptela, ergo est irrationabilis, adeòque nulla. *R.* Id verum esse, si Parochus non possit per alium suis æquè utiliter providere, tunc enim jure naturali, & divino officium pastorale in propria persona exercere debet; e contra si possit æquè, vel magis utiliter officium suum explere per alium, tunc tantum jure Ecclesiastico sub pœnâ amissionis fructuum per se ipsum residere obligabitur, quæ obligatio, prout tolli potest per dispensationem, & privilegium, sic & per consuetudinem saltem immemoriam.

3. Ad hoc, ut Parochus legitime absit, non sufficit tacita, vel præsumpta Episcopi licentia, sed requiritur expressa, etiamsi adsit causa gravissima discedendi, v. g. instans bellum, vel insidia; tunc enim præviè ante discessum, vel si id fieri non possit, quamprimùm potest, licentia petenda, & causa absentia Episcopo significanda erit, ut de sufficientia causæ cognoscere, & tempus redeundi determinare possit, & sic declarasse *S. Congreg. docet Garc. de benef. p. 3.*

c. 2. num. 34. nec poterit Episcopus quòdā re-
sidentiam etiam in beneficiis simplicibus, minùs
in curatis dispensare in perpetuum; hoc enim soli
Papæ competit; sed tantum ad tempus ex iustis
causis.

7. 4. Olim Parochi poterant cum licentia Episco-
pi studiorum causâ septem annis abesse, *c. cum ex
eo 34. de elect. in 6.* hodie autem post *Conc. Trid.*
Episcopus Parochis ejusmodi licentiam dare non
posse, respondit Pontifex à S. Congreg. Conci-
lii interprete consultus, ut testatur *Fagn. in c. su-
per speculâ de Magistr. n. 17.* Ratio *Trid.* est, quòd
Parochiæ hodièdum conferri debeant per concur-
sum, & examen Episcopi, in quo non admittun-
tur, nisi capaces, qui necessaria studia jam ab-
solverunt; nihilominùs hâc declaratione non
obstante cum *Fagn. Wiest.* aliisq; docet *Schmalz,*
l. c. Episcopum Parochis ejusmodi licentiam con-
cedere posse; quia de contrariâ declaratione non
constat authenticè, & fundatur in concursu, qui
ubique receptus non est.

8. 5. Locus in quo residere debet, est locus be-
neficii, ideòque Episcopus debet residere in civi-
tate, in qua est Ecclesia Cathedralis. *Can. placuit
caus. 7. q. 1.* Parochus in sua Parochia; unde non
satisfaciunt, si resideant in vicinia, nisi excuset
consuetudo rationabilis, vel necessitas. *Garc. sup.
Schmalzg. n. 10.* qui habet plures Parochias, aut
Parochiam simul & Abbatiam, vel Præposituram,
in loco digniori, seu in Abbatia, vel Præpositu-
ra residere debet; si verò habeat Parochiam, &
Canonicatum, in Parochia ob favorem curæ ani-
marum residere debet, & nihilominus quòdā per-
ceptionem fructuum, imò etiam quòdā præsentias
quotidianas, si Parochia Canonicatui fuerit unita,
fictio-

fictione juris habetur pro præsentē. *Eng. nu. 20.* intellige, nisi consuetudo vel statuta loci contraria fuerint.

6. peccat Pastor, si totam curam per cooperatores exercent; nam non sufficit, quòd materialiter resideat, sed etiam debet residere formaliter, saltem aliquando, & maximè si Parochiani id petant, per seipsum officium Parochiale exerendo; non tamen incidit in pœnas non residentium, si per alium functiones Parochiales expleat. *Garc. c. 2. n. 53. Reiff. n. 87.* Item teneri Parochum residere tempore pestis, contagionis, vel belli, declaravit S. Congreg. 11. 8bris 1576. quia tunc oves assistentiâ sui Pastoris magis indigent; non expediet autem tunc, si solus sit, & successorem statim habere non possit, Sacramenta minùs necessaria cum novo periculo administrare, ne ex præmaturo ejus morbo, vel obitu subditi careant Sacramentis necessariis; unde oportebit ipsum magnâ cautelâ, & continuâ præservativâ uti pro qua *Eng. nu. 19.* multa, & præclara suggerit remedia, & ego dabo aliqua *Cas. 88. quest. 6.*

QUÆR. IV. Quid de iis, qui habent beneficia simplicia? *10.* Non tantùm curati, sed etiam omnes habentes beneficium simplex quantumcunque tenue, de jure communi ad residentiam obligantur, ut patet ex *c. 3. 6. 10. h. t. dico: de jure communi*, nam modò generali consuetudine introductum est, ut Capellani seu obligati ad certas Missas, & similes à residentia sint liberi, possintque officium suum explere per alios, nisi aliud habeat beneficii fundatio; Canonici verò Cathedralis, & Collegiati tenentur residere juxta sequentes limitationes.

1. Ca-

I. Canonici habent à jure annuò tres menses, quibus etiam pro sola animi recreatione abesse, & nihilominus fructus annuos lucrari possunt; si ulterius abesse præsumant, præterquam quòd fructus pro ratâ absentia non faciant suos, insuper primo anno mediâ parte, secundo anno omnibus fructibus, etiam quos causâ residentia jam fecerant suos, eo ipso privantur. *Trid. sess. 24. c. 12. de reform.* Notandum autem hîc, quòd proventus Canonicales sint duplices, alii vocantur distributiones quotidianæ seu præsentia, quæ singulis dantur, quoties Matutino, Missæ, vel alteri Horæ interfunt; alii vocantur fructus annui, qui dantur propter annuam residentiam in loco beneficii, statuit autem *Trid. in Ecclesiis*, in quibus nullæ aut exiguæ sunt distributiones quotidianæ, ut tertia pars fructuum annuorum illuc impendatur, ne defectu præsentiarum ad Officiam chorale negligentius accurrant Canonici.

II. 1. Duæ sunt causæ, ob quas Canonici ultra tres menses abesse, & tamen fructus lucrari possunt, moralis scilicet impossibilitas, & communis utilitas. Ratione moralis impossibilitatis excusantur, qui ob ægritudinem, insidias hostiles, injustam captivitatem, pestem &c. adesse non possunt, & tales fictione juris habentur pro præsentibus, saltem quòd ad fructus annuos, & si in eâdem urbe præsentibus sint, quamvis Chorum non frequentent, etiam quòd ad distributiones quotidianas per *C. unic. h. t. in 6.* modò aliàs soliti fuerint Chorum frequentare; nam si sani non frequentassent, non censeretur infirmitas dare causam absentia *Schmalzg. n. 91.* Ratione communis utilitatis excusantur, qui absunt non ex privata, sed publica causa v. g. pro tuendis sui Canonici-

catūs, vel Ecclesiæ juribus aut intersunt Capitulo Provinciali, vel Generali, Inquisitores hæreticæ pravitatis, Pœnitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus, dum confessiones audiunt, auditores Rotæ Romanæ, Sacellani, Consiliarii, & similes Ministri, qui Episcopum adjuvant in regenda Diocesi, *Barb de off. alleg. 53. an. 171. Pyr. n. 91. h. t.* Item Canonici, qui docent Theologiam, vel Jus Canonicum in aliqua Universitate, aut delicta Episcopi in Gymnasio (non autem in villa vel loco privato, ubi exiguum est litterarum exercitium) causa studiorum absunt. *C. 4. § 19. h. t.* denique juxta *Garc. p. 1. c. 2. n. 334. Leur. q. 397. ii*, qui per quatuordecim annos diligenter divinis interfuerunt, si ita habeat statutum, vel consuetudo; omnes hi fictione juris habentur pro præsentibus, saltem quoad lucrandum corpus, seu fructus annuos; an verò etiam lucrentur præsentias quotidianas, attendenda erunt statuta, & consuetudo cujuslibet Collegii, ex quibus pariter colligendum, an Concionatores, vel legentes Missas cum aut sine licentia tempore Horarum, lucrentur præsentias; Item an præsentia chorales 12. Canonorum absentium accrescant Canonicis præsentibus; quamvis *Trid. sess. 22. c. 3.* dicat omnes applicandas esse arbitrio Episcopi ad Fabricam Ecclesiæ, vel alium locum pium, quia tamen *Trid.* ibi tantum loquitur de præsentis, quæ noviter ex tertia parte fructuum deductæ sunt, hinc communiter *DD.* censent aliud obtinere in præsentis antiquis, putantque has accrescere præsentibus; qualiter autem peccent, & ad restitutionem teneantur Canonici, qui quidem resident, sed Chorum non frequentant, aut in Choro præsentis non cantant, vel dormiunt, dixi *Cas. 72.*

13. n. 14. finaliter dubitari posset, an Canonici intrantes religionem tempore Novitiatus lucrentur fructus, *König h. t. n. 26.* inclinatur in partem affirmativam, eò quòd ingressus in religionem sit causa favorabilior, quàm causa studiorum; sicut ergo studiorum causa absens habetur fictione juris pro præsente, sic & absens causa religionis; iniquum enim videtur, ut aspirans ad statum perfectiorem propterea privetur fructibus; ubi enim non est culpa, non debetur pœna; his non obstantibus negativa videtur verior; nam quamvis talis Canonicus justissimè absit, quia tamen hoc non cedit in utilitatem publicam, sed privatam, & Novitiatus non refertur inter causas legales, & privilegiatas in jure, uti refertur studium, hinc ejusmodi Novitius fictione juris non habetur pro residente, nec privatur fructibus in pœnam, sed tantùm eos non acquirit, defectu conditionis ad acquirendum requisitæ, scilicet residentiae personalis,

